DE RITV
SANCTISSIMAE CRVCIS
ROMANO PONTIFICI
PRAEFERENDAE
Commentarius

A F. AVGVSTINO FIVIZANIO ROMANO
PALATII APOSTOLICI SACRISTA,
Et Ordinis Eremitarum S. Augustini Vicario Generali
conscriptus.

AD SANCTISS. D. N.
CLEMENTEM VIII.
PONT. MAX.



ROMAE,
Ex Typographia APOSTOLICA VATICANA.
M. D. XCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTI VIII.
PONT. MAX.

F. AVGVSTINVS FIVIZANIVS ROMANVS
APOSTOLICI PALATII SACRISTA,
Et Ordinis Eremitarum S. Augustini Vicarius Generalis
S. P. D.



VO tempore GREGORIVS XIII. ſpectatiſsimę pietatis Pont. de adeunda Bononia, prędariſsima patria ſua cogitauerat, illius profectionis occaſione conſcripſi Libellum de antiquitate & cauſis ritus præferendi ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum Summo Pont. extra Vrbem proficiſcenti: quem cum ille a me ſibi oblatum, qua præditus erat humanitate, legiſſet, ac etiam rei argumentum probaſſet, iniunxit mihi, vt & de Cruce, quæ eidem Pont. in publicum prodeunti rite præfertur, aliquid adnotārem: quod, qua maiore potui diligentia, perfeci: ſcriptionemq. iam diu abſolui: quam cum multis doctis viris & legēdam, & proban-

dam tradidissem, suaserunt illi, immo vero quasi coegerunt, vt eam in publicum darem. Quorum ego suasu & iussu ductus, illam in hominum conspectum prodire permisi. Multis autem nominibus laborem hunc meum, qualiscumque sit, augustiss. nomini Tuo, CLEMENS Pont. sanctissime, deberi existimaui. Primum, quòd Pontificijs obsequijs a tam magno tempore sum mancipatus. Deinde, quòd de re ad Romanum Pont. praecipue spectante agatur. Praeterea (vt & hoc mihi sine vllo assentationis, quam tantopere detestaris & horres, suspicione dicere liceat) quia ex gentilitio Stemmate tuo, in quo, cum Stellis, Crucis quãdam figuram inspicere videor, illud ipsum Ecclesiae sanctae, ac iam diu afflictae Christianae Reip. boni portendi conijcio: quod ex signo cum Stellis Constantino magno caelitus osten so, euenit; hoc est summam felicitatem & tranquillitatem.

Accipe igitur PATER BEATISSIME Libellum, quem sanctitati Tuae ad illius pedes prouolutus ingentis obseruantiae ac studij mei testimonium quamuis perexiguum offero ac dico: quem si grauissimo ac prudentissimo iudicio tuo probari sensero, dabo propediem alium de Eucharistiae gestatione, cuius paulo

antea

antea memini. Deus interim Sanctitati Tuæ, tam magna aſsidue pro Eccleſiæ ſuæ ſancto regimine molienti, perpetuo plenitudinis gratiæ ſuæ ac fortitudinis ſpiritu aſsiſtat, ac perpetuam incolumitatem præſtet. Romæ, in Palatio Apoſtolico apud Vaticanum, Kal. Maij. M. D. XCII.





AVCTO-



Quos
Per Crucis myſterium
Saluas,
Rege per ſæcula.
Amen.


AVCTORVM, QVI IN HOC OPERE PASSIM CITANTVR,

Nomina.

Abdias.
Ado Trener.
Aegidius Columna Rom.
Albinus Flaccus.
Alexander a S. Elpidio.
Aloisius Lippom.
Alphonsus Ciacconus.
Amalarius.
Ambrosius.
Anastasius Bibliothecarius.
Andreas Creten.
Anselmus.
Antoninus.
Aristoteles.
Athanasius.
Augustinus.
Augustinus Fauaronius.
Augustinus Triumphus.
Bartholomaeus Cryptes.
Basil.us.
Beda.
Benedictus, Can. S. Petri.
Bernardus.
Bibliotheca SS. PP.
Carolus Sigon.
Cassiodorus.
Caesar Baronius.
Claudianus.
Clementianus.
Caelius Rhodig.
Concilia.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandr.
Cyrillus Hierosol.
Damascenus.
Dionysius Areopag.
Ephrem Ediss.
Epiphanius.
Eusebius Caesariensis.
Euthymius.
Fortunatus.
Franciscus Aluarez.
Gabriel Franciscanus.
Gaudentius Brixien.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Turonen.
Grimoldus Abbas.
Guillelmus Cremonen.
Guillelmus Durantes.
Guillelmus Neobrigen.
Hieronymus.
Hieronymus Oserius.
Hippolytus Martyr.
Hister. Tripart.
Isidorus Hispalen.
Iacobus Pamelius.
Iacobus Vsterb.
Ignatius Martyr.
Innocentius Pont. III.
Ioannes Belethus.
Ioannes Chrysost.
Ioannes Diaconus.
Ioannes Lessius.
Ioannes Molanus.
Ioannes Perell.
Iosephus Steph. Val. Epis.
Irenaeus.
Iulius Africanus.
Iuo Carnoten.
Ius can. & ciu.
Iustinianus Imper.
Iustinus Martyr.
Lactantius Firmianus.
Laurentius Surius.
Leo Magnus.
Leontius Episcopus.
Maphaeus Vegius.
Marsilius Ficinus.
Martialis Episcopus.
Micrologus.
Nicephorus Callistus.
Nicephorus Gregoras.
Nicolaus Sanderus.
Nouus Orbis.
Oecumenius.
Onuphrius Panuinius.
Origenes.
Paulinus.
Paulus Diac.
Petrus Cluniacen.
Petrus Damian.
Petrus Manlius.
Philon Hebraeus.
Pontificalis liber.
Porphyrius.
Pratum spirituale.
Procopius Gazaeus.
Prudentius.
Rabanus Maurus.
Robertus Bellarminus.
Rodulphus Tungrensis.
Rufinus.
Rupertus Tuitiensis.
Saluianus Massilien.
Seneca.
Simeon Metaphrastes.
Simon Maiolus.
Sozomenus.
Socrates.
Stanislaus Osius.
Sulpitius Seuerus.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodorus Balsamon.
Theodulphus.
Thomas Aquin.
Thomas Vualdensis.
Venantius.
Zonaras.

PRAE.

PRÆFATIO.





DE RITV præferendæ CRVCIS Romano Pontifici in publicum prodeunti argumentum, de quo vt ſcriberẽ mihi imperatum eſt, tanto difficilius explicatu videtur, quanto noſtra Aetas a Chriſtianæ Religionis exordio, quo ritus ipſe vſum primitus accepit, longiori diſiũgitur interuallo: nulla enim certa huius inſtitutionis apud nos viget recordatio: nulluſq. certus auctor extat (quòd ſciã) qui ex propoſito hoc idem tractarit. His ergò de cauſis, quamuis accuſari merito poſsim, qui onus viribus impar ſubierim; obſequẽdi tamen ſtudiũ, ſiue parẽdi potius neceſsitas, iure excuſat: facilius namque probaturos omnes arbitror, me Maiorum auctoritate compulſum, id præſtare, quàm de ingenij tenuitate diffiſum abnuere debuiſſe. Mihi igitur rem ipſam altius animo repetenti, ſatisfeciſſe tanto muneri videbor, ſi huius inſtituti antiquitatem, & cauſas ex ſanctorum Patrum ſententijs, & rei veritatem, teſtimonijs ſumma fide vndique collectis comprobauero. Qua in re magnum momentum habent quæ ſpectant ad alium ritum, iſto longe antiquiorem, communioremq. il-

lum nimirum, quo fidelis quiſque ſalutari Crucis ſigno ſe, ſuaq. omnia, manu ſua munire conſueuit. Triplex autem in vniuerſum ſigni viuificæ Crucis vſus occurrit: aut enim ſola manu formatur: aut e ſaxo ſculptum cernitur, pictum in muris, in lapidibus pretioſis inciſum, panno intextum, ſiue cuiuis materiæ appoſitum: aut poſtremo ex ligno delatum, ære conflatum, auro, argento, & quacumque ex re alia fabrefactum effertur, ſiue aliquo in loco perpetuo, aut ſtatis temporibus, ad venerandum populo proponitur. Ita fit, vt explicationem propoſiti argumenti aggreſſurus, hæc omnia complecti, breuemq. hanc diſputationem in tres Sectiones, ſeu Libros partiri viſum ſit opportunum. In primo agam de vetuſtiſsimo, ac frequentiſsimo vſu fidelium Cruci, ſe, aliaq. manu ſua conſignandi. In ſecundo, de ritus circumferendæ Crucis antiquitate. In tertio, de ratione, & cauſis propoſiti ritus, qui perpetuo quodam tenore ad noſtra vſque tempora perductus eſt. Quilibet Liber erit diſtinctus per Capita. Accedit præterea Appendix de honore ſanctiſsimæ Cruci exhibendo; hanc preter intentionem quidem ſuſcepti operis ab initio, præſenti tamen tractationi in ipſo progreſſu plurimum conuenire ſum arbitratus.


LIBER PRIMVS

De vetuſtiſsimo, atque frequentiſsimo vſu Chriſtianorum, ſe, & alia Crucis viuificæ ſigno muniendi.



Cruce ſignandi ritum ab Apoſtolis, qui illum a Chriſto acceperunt, ad Chriſtianos omnes deſcendiſſe, oſtenditur.

CAP. I.



IGNI ſanctiſsimæ CRVCIS vſum in Eccleſia Dei ab eius (vt ita loquar) infantia frequentiſſimum fuiſſe, grauiſſimorum Patrum monumenta teſtantur. Non poteſt autem veneranda huiuſmodi antiquitas altius peti, niſi a diuinis viris, qui poſt Chriſtum, Eccleſiæ fundamenta iecerunt, hoc eſt a ſanctiſſimis Apoſtolis, a quibus exordiemur, ipſorũ exempla primum referentes. Sicut autẽ credendum eſt, nullum vere fidelem virum dubitaſſe, pium hunc ritum ab illis, qui cum Chriſto manducarunt, & biberunt, ad nos manaſſe, & ab eiſdem, & fidei illorum heredibus fuiſſe nobis, quaſi per manus, traditũ; ita minime ambigendum putamus, illos ab ipſomet Saluatore accepiſſe. Nam ſicut non audemus prorſus affirmare a Domino noſtro Crucis ſignum adhibitum fuiſſe, quando benedicens panem in corpus ſuum tranſubſtantiauit, de quo ſcripſit Amalarius Fortunatus dicens: *Si Dominus, quando benedixit panem, feciſſet Crucis ſignaculum, ipſi norunt,* De Eccl. offi. lib. 5. cap. 24.

 qui

qui præsentes fuerunt, præsertim cum nondum esset erectum vexillum sanctæ Crucis; ita haud difficulter nobis persuaderi potest, Christum post debellatos per passionem & mortem suam in Cruce Principatus, & Potestates, in cælum ascendentem signo Crucis Apostolis benedixisse, eosq. tutissimo isto clypeo munitos reliquisse. Hoc ipsum indicare videntur beati Lucæ verba, dicentis, Christum, eleuatis manibus, Apostolos benedixisse. Vnde nō absurde quis crediderit voluisse significare, quòd extensa manu, magna cum grauitate, & maiestate, Crucis signum super illos duxerit. Ex quo loco desumpta videtur etiam forma, quam seruant Episcopi, quādo populum solemni more benedicunt. Mos enim illis est, vt ambas manus primo leuent, & extollant ad cælum, mox eas iungant, tum dexteram solam super adstantes deducant, signumq. Crucis forment super eos. In quam sententiam, videlicet quòd Christus Discipulis signo Crucis manu formato, benedixerit, venire videtur Ioannes Molanus in suo de picturis egregio libro cap. 79. vbi ait: *Ascendens porro Christus, benedixit Apostolis manibus eleuatis: Quod fecit, aut ritu Aaronico, extensis super eos palmis, vti Iudaici Sacerdotes hodie temere benedicunt: aut ritu Christiano, quo Episcopi benedicunt. Posterius tamquam probabilius exprimunt pictores.* Hæc vt clariora fiant, methodo tractabimus, ac primo quidem afferemus se signandi exempla. Secundo loco statuemus ea, quibus signum Crucis super alias res ab ipso signante distinctas ducendum demonstretur.

Luc. 24.

Lib. Pontificali in Missa Pōtificum.

Inter illa igitur primo se offert beatissimi Andreæ Apostoli memorabile exemplum, qui tamquam Crucis amātissimus, singulos Christianos Cruce muniebat, deinde seipsum signabat, vt Iulius Aphricanus Abdiæ interpres lib. 3. affirmauit his verbis: *Sanctus Apostolus Andreas singulis manus imponens, & consignans Cruce, eos abire permittit; nouissime autem se signans, & ipse discessit.*

Iulius Aphric.

Præterea Discipulus præ ceteris dilectus, qui stetit

iuxta Crucem Magistri sui patientis,& morientis,ante obitum se signo Crucis manu propria signauit; vt ait idem Abdias: si tamen Abdiæ liber est is,qui eius nomine circumfertur, cuius fides etsi omnino probata non est,multa tamen,quæ vera sunt,ibi continentur in hæc verba: *Ioannes signans se totum, astitit, & ait: Tu mecum Domine Iesu solus: & proiecit se supra tumulum, in quo strauerat vestimenta sua,dicens: Pax vobis,fratres: ac omnes benedicens, ac valefaciens deposuit se viuentem in sepulchro suo, & iussit se operiri glorificans Dominum, & statim reddidit spiritum.* Hanc eandem historiam copiose descripsit Nicephorus Calixtus, dicens: *Cum dudum transitionem suam ad Deum,diemq. & horã eius pranidisset Ioannes,presbyteris,ministrisq. Ecclesiæ, & præterea quicumque flagranti essent fide fratribus assumptis,extra Ephesiorum vrbem progreditur,& cum eis in vicinum quendam tumulum, quò frequenter ire precationi operam daturus solebat, conscendit. Ibi vehementius orans Ecclesias Deo commendat, mox sarculis quibusdam, & ligonibus celeriter sepulchrum sibi fodi præcipit: Deinde eos,qui tum aderant, arcanis de Deo verbis, & præceptis optimis de fide,spe, & potissimum dilectione (quippe dilectus ipse) erudit; & corda eorum confirmans Seruatori verbo commendat. Postremoq. illis in Domino saluere & valere iussis, vbi se Crucis signo communisset, in monumentum descendit.*

Ioan. 19.

Abd. li. 5.

Niceph. hist. Eccl. lib. 2. cap. 42.

Vnde,quæso,Antipas,cuius Apostolus & Euangelista Ioannes in Apocalypsi meminit,ritum consignandi se didicit,nisi ab ipsis Apostolis,quos ille habuit doctores. De quo hæc refert Metaphrastes: *Virum hunc iustum Antipam corripiunt homines impij, & ad Dianæ templum trahunt, vbi erat statua bouis ærea,quam igne succenso multo ante inflammarunt. In hanc beatum Martyrem coniecerunt. At ille cum se signo Crucis muniuisset,dum eiusmodi cruciatu torqueretur, diu in hunc modum precabatur: Deus, & cet.*

Apoc. 2.

Apud Sur. die 11. April.

De Thecla quoque a beatissimo Apostolo Paulo fidei præceptis instituta idem prorsus refert Ado Treuerensis xxiij. Septemb. dicens: *Capta ab apparitoribus vt in focum*

Ado Treuer.

cum iactaretur, sponte pyram ascendit, & signo Crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit, subitoq. facta inundatione pluuiarum, ignis extinctus est, & beata virgo illæsa, virtute superna erigitur. Eodemq. signo munita, vt idem Auctor testatur, illæsa quoque euasit a collectis, & congregatis serpentibus in fouea, in quam a furentibus populis deiecta fuerat.

Euphemia virgo sanctissima inter atrocia tormenta machinarum in vno Crucis signo præsidium sibi constituit. De qua hæc habet Metaphrastes: *Postquam autem ipsa machinæ, dicto citius, fuerunt constructa, & Martyr in eas erat conijcienda, validis continuo in se paratis armis, nempe diuina Crucis figura, ac ea signata, aut (vt melius dicam) munita aduersus rotas processit, nullam quidem vultu ostendens tristitiam.*

Confessorum ille maximus, & Monachorum pater Antonius, vt in eius vita scribit Athanasius, se Crucis signo contra innumeras dæmonum pugnas, & hostiles incursiones armabat: discipulosq. suos, vt eadem armatura se munirent, sæpissime hortabatur inter cetera, dicens: *Solent nocte venientes Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiam, futura præmia polliceri: quos cum videritis, tam vos, quàm domos vestras Crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum.* Hoc vero, quod alijs commendabat, Crucis propugnaculo Antonium vsum fuisse testatur beatus Hieronymus, dum in vita sancti Pauli primi Eremitæ refert illum ad Anachoretarum Principem visendum perrexisse, his verbis: *Et iam media dies desuper, coquente sole, feruebat; nec tamen a cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quia quod mihi seruo suo promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poetarum equo centauro vocabulum indidit: quo viso salutaris impressionis signo armat frontem, & ab illo didicit iter ad Paulum.*

Hierony. in vita S. Pauli to. 1.

Constantinum etiam Imperatorem se hoc sacro signo muniendi consuetudinem habuisse apud Ecclesiasticarum

ſticarum hiſtoriarum Scriptores videre eſt. Inter quos hæc habet Euſebius: *Hic Chriſtum libero ore & ſermone in omnes diuulgauit, atque interdum vultum ſalutari illa paſsionis ſignauit nota, nonnumquam trophæo illo glorioſo plurimum ſe extollens.* De Vit. Conſtãt. lib. 3. c. 2.

Præſtantiſſimus Patriarcha Ioannes Chryſoſtomus ſpiritum Deo redditurus, eodem ſignaculo ſe ipſum inſigniuit, vt refert Nicephorus Hiſtor. Eccl. lib. xiij. cap. 37.

Sed poſt Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum relata exempla, aliquot nunc Patrum ſententijs propoſitum argumentum confirmemus.

Tertullianus Apoſtolorum ætati valde propinquus, ad eam, de qua agimus, ſignandi frequentiam comprobandam luculentiſsimum huiuſmodi teſtimonium perhibet: *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos conuerſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus.* De corona militis.

His maxime concordant, quæ habet Hieroſolymorum olim Antiſtes beatus Cyrillus Cathec. iiij. vbi dicit: *Fac hoc ſignum & manducans, & bibens, & ſedens, & ſtans, & loquens, & ambulans: In ſumma, in omni tuo negotio.* Et cathec. xiij. *Non pudeat igitur nos Crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum Crucis digitis imprime, & in omnibus alijs Crux fiat. In panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in ingreſſu, & egreſſu, & ante ſomnum, recumbendo, & ſurgendo, eundo, & quieſcendo.* Et quod ad pocula Cruce ſignanda attinet, præclarum a Theodoreto refertur exemplum militis, qui, quòd Chriſtianus eſſet, detectus, ac increpatus, & in vitæ periculum adductus, quòd in conuiuio, ſumpto in manum poculo, non ante bibebat, quàm ſalutare Crucis ſignum adhibuiſſet. Hiſt. Eccleſ. lib. 3 cap. 15.

Tertulliani & Cyrilli ſententiæ ſe ſubſcribit Ephrem Ediſſæ Diaconus beati Baſilij contemporaneus, dicens: In ſerm. de Cruce.

Nos

Nos Christiani a Gentilibus & Iudæis declinemus, postesq. nostros pretiosa, ac viuifica Cruce coronemus, dicentes cum Apostolo:
Gal. 6. *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Pingamus in ianuis, atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus viuificum signum, armemur insuperabili hac Christianorum armatura: ea enim victrix est mortis, fidelium spes, lux orbis terræ, paradisi reseratrix, hæresum profligatrix, dæmonum expultrix, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna, salutarisq. custodia, & gloria perpetua orthodoxorum in æternum. Hanc, o Christiane, armaturam diebus singulis, & noctibus, horis, atque momentis in omni loco circumferre non desinas, nihilq. sine ipsa perficias: sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, siue transmittas flumina, hac te lorica circumtege, membraq. tua omnia salutari signo exorna, atque circumsepi.*

S. Ioan. Chrysost. Insignium horum Doctorum testimonijs adstipulantur quæ S. Ioannes Chrysostomus scripsit in demonstratione contra Gentes, quòd Christus sit Deus, dicens: *Quam omnes prius abhorrebant Crucis figuram, tantopere quæsierunt, atque adeo ea vbique inuenitur apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos: subinde omnes ea se signant inscribendo in nobilissimum membrum: in fronte enim nostra quasi columna quotidie figuratur.*

Prudentius. Ante somnum vero, frontem, locumq. cordis Cruce signandum docet Prudentius in Cathemerino hymno vj. dicens:

Fac, cum, vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locumq. cordis
Crucis figura signet:
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt Crucem tenebræ,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Accedat ad hæc Gaudentij Brixiensis Episcopi, qui

&cir-

& circa eadem tempora floruit locupletissimum testimonium, quo manifeste comprobatur, huiusmodi ad singulas actiones signandi ritum ab ipso Apostolo Paulo fidelibus fuisse traditum. Gaudentij autem verba sunt ista: *Sit sermo Dei, & signum Christi in corde, in ore, in fronte, inter cibos, in lauacris, in cubilibus, & in ingressu, & egressu, in lætitia, in mærore; vt iuxta beatissimi Pauli doctrinam; siue manducatis, siue bibitis, siue aliquid facitis, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui vos vocauit ad gratiam, faciatis.*

1. Cor. 10.
Gaudentius tract. 1. de Lect. Euang. & in ord. octauo, to. 7

Sed ne in re luce ipsa clariore diutius immoremur, vno beati Paulini Nolani Episcopi testimonio in vita sancti Felicis, Natali 8. vt silentio præteream quæ Hieronymus, Augustinus, & alij sanctissimi, & eruditissimi viri de se Cruce signando scriptis tradiderunt, iam tandem caput hoc concludamus: Is enim Crucis laudes enumerans, ita subiungit:

Nos Crucis inuictæ signum, & confessio munit,
Armatiq. Deo mentem, non quærimus arma
Corporis, & quamquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Hier. epi. 8. & 27. in vita sãcti Pauli primi Eremitæ: & in vita S. Hilarionis.
Ambros. ser. 58.
Aug. de doct. christia. lib. 2. cap. 41.
De rect. cath. cõuers. de verb. Domini ser. 18. & de tempore serm. 131.

De ratione se rite signandi, & de ijs, quæ ex ea proficiscuntur, vtilitatibus.

CAP. II.

AT ne quod graues ac docti viri accurate scriptis tradiderunt, a nobis quasi leuis momenti silentio inuoluatur, rite se signandi formam, eiusq. signationis rationem, ac vtilitates, antea quàm vlterius progrediamur, explicare minime grauati sumus. Rite igitur, quemadmodum ex Maiorum traditione, scriptoq. accepimus, eum se signare asserimus, qui dextera manu plena, tribus, vel etiam solis duobus digitis ad frontem

admotis, primo pronunciauerit: *In nomine Patris*. Subinde ad ventrem descendendo proferat: *& Filij*. Mox ad pectus manum adducens, & a læuo ad dextrum latus deducens, subinferat: *& Spiritus sancti. Amen*. Formationis autem huiusmodi ratio hæc redditur: Primum, quòd manu dextera fiat, illa est causa, quam a beato Iustino Martyre accepimus: *Quia honorabilior est dextera quàm sinistra; tametsi situ, non natura, ab ea differt*. Si plena manu, hoc est, cunctis simul quinque digitis absoluatur, quinque Domini plagæ: Si tribus, sanctissima Trinitas: Si duobus solis, duæ in Christo naturæ significantur. Patris nomen primum ad frontem pronunciatur, quippe qui, cum a nullo sit, reliquarum personarũ fons est, & origo. Filius subinde a fronte ad ventrem descendendo exprimitur: quoniam qui a solo Patre gignitur, in temporis plenitudine in Matris Virginis vterum descendens, in ea, & ex ea homo factus est. Manus vero ad pectus inter frontem, & ventrem medium reducta, cum dicitur: *Et Spiritus sancti*, in memoriam reuocat, quòd Spiritus sanctus a Patre, Filioq. procedẽs vtriusque amor est, & quasi quidam ipsorum nexus. A læuo autem ad dextrum latus transitio docet, vere fideles ex hac vita, miseriarum plena, ad cælestem omnium gaudiorum refertam, & a læua damnationis ad saluationis æternæ dexteram per Crucis virtutem transferendos.

Ad ortho dox. in re spõ. ad q. 118.

Commoda vero, ac vtilitates, quæ ex huiusmodi sanctæ Crucis cum inuocatione trium Diuinarum Personarum, formatione proficiscuntur, hoc ordine explicantur.

Primo, signum Crucis præcipua religionis nostræ capita complectitur, quæ credere & palam profiteri, Christiani omnes tenentur. Qualia sunt, sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Passionis Christi, remissionis peccatorum, denique gloriæ cælestis cognitio.

Ioan. Perell. libro piarũ institutionum.

Secundo, in Crucis formatione sancta oratio continetur,

netur, qua ſeſe ſignantes Deum precantur, vt in omnibus actionibus auxilium præbeat.

Tertio, eſt oblatio, qua nos, noſtraq. omnia Deo offerimus.

Quarto, eſt quædam in dæmonem cōiuratio, ad eum ſcilicet depellendum, eiusq. vires frangendas, & obterendas.

Quinto, hac Crucis formatione, noſtra ſpes excitatur in Deum, vt remiſſionem peccatorum obtinere poſſimus.

Sexto, in nobis charitas inflammatur, dum per hoc ſignum paſſionem Domini memoria complectimur:

Septimo, incitamur alacriter ad imitationem Crucifixi, & ad noſtros labores patienter, immo alacri animo perferendos.

Sacræ omnes actiones, quæ circa rem externam exercentur, non poſſunt ſine ſignaculo Crucis abſolui.

CAP. III.

HVmanarum, immo quarumcumque actionũ, quædam in exteriorem, vt Philoſophi dicunt, materiam tranſeunt, quædam verò in ipſarum auctore perſiſtunt. Has in præcedenti capite complexi ſumus; nunc de tranſeuntibus, ſiue illæ circa homines, ſiue circa quācũque aliam rem exerceantur, teſtimonia proferamus, vt aperte demonſtrare poſſimus eas omnes ſine Crucis ſignaculo ab ipſo Chriſtianę religionis exordio tradito, compleri non poſſe. Et prætermiſſis fere infinitis rebus notitiam hominum omnino excedentibus, quæ poſt Chriſti in cælos aſcenſum potentiſſimo ſigno Crucis factæ fuerunt, tantummodo nonnulla inſignium viro-

rum dicta in medium afferemus, quibus res ipsa, quasi ex certissimis tabulis confirmetur. Qua in re primum nonnulla adducenda veniunt ex his auctoribus, qui de mysticis functionibus agunt, quas Ecclesiarum Dei Præsules ad hominum sibi traditas animas purgandas, & Deo dicandas ex Christi, & Apostolorum præscripto adhibere consueuerunt. Inter quos primus occurrit sapientissimus ille Philosophus, ac fortissimus Martyr Dionysius Areopagita, beatissimi Apostoli Pauli discipulus, qui de Ecclesiastica hierarchia cap. 5. par. 2. mysteria consecrationis Episcoporum, & Sacerdotum explicans, post multa ita intulit: *Vnicuique autem eorum signum Crucis a consecrante Pontifice imprimitur.* Et cap. 6. eiusdem part. in quo de mysterio monasticæ consummationis verba facit, ad finem dicit: *Vbi vero ille* (Monachus videlicet) *mundo renuncians ista omnia intente promiserit, consignans eum signo Crucis sacerdos tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans.* Et par. 3. *Communia quidem sunt & Pontificibus, & sacerdotibus, & ministris, cum cooptantur, & consecrantur, accessus ad diuinum altare, inflexio genuum, Pontificis manus admotio; signum Crucis, prædicatio, siue laudatio, perficiens salutatio.*

Dion. Areopag.

Beatus quoque Iustinus, & ipse Philosophus & Martyr, & a Dionysij ætate parum distans, ad Orthod. post probatum ab ipso ritum orandi orientem versus, hæc habet: *Quemadmodum dextera manu in nomine Christi consignamus eos, qui hoc signo egent, quia honorabilior existimatur, quàm sinistra; tametsi situ, non natura ab ipsa differt.*

S. Iustinus In respõs. ad q. 118.

Sanctus quoque Cyprianus doctrina & Martyrio insignis diuersis in locis non pauca scripsit, quæ ad huius instituti confirmationem faciunt: sed satis erit mihi attulisse quod in libro de baptismo habet his verbis: *Neque enim Paulus pro nobis crucifixus est, aut nos gloriamur in Paulo, sed in Cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta: sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum.*

S. Cyprianus.

Confir-

Confirmat hoc ipsum apertissime magni Basilij locus liber de Spiritu sancto, cap. 18. cuius verba quoniam manifestissime redarguunt nostræ quoque tempestatis hæreticos, temere impieq. asserentes nihil in Ecclesia recipiendum præter illa, quæ in sacris Biblijs scripta sunt, paulo latius referre haud superuacaneum erit. Ea autem sunt: *Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus doctrina scripto prodita: quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio tradita recipimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nam si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti conemur reijcere, impudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur. Immo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus, quod genus est, vt eius, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco commemorem, vt signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christo, signemus.*

Basilius Magnus.

His adstipulatur in pluribus aureorum operum suorum locis Ioan. Chrysostomus & disertissime hom. 55. in Matthæum dicens: *Etenim omnia, quæ secundum nos fiunt per ipsam* (scilicet Crucem) *perficiuntur: et si generari oportet, Crux accedit: & si nutriri, vel pasci mystico illo cibo, & si quodcumque aliud facere, vbique signum victoriæ nobis assistit.*

S. Ioann. Chrysost.

Confirmantur eadem per illam sancti Ambrosij sententiam: *Marath amarissimus erat, misit in eum Moyses lignum, & dulcis factus est: Aqua enim sine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos vsus futuræ salutis est: cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum spiritalis lauacri, & salutaris poculi temperatur.*

S. Ambr. lib. de initiãdis c. 3 to. 4. in c. 15. Exodi de Marath, vel Marach, siue Mara, fonte.

Beatissimus quoque pater Augustinus tract. 117. in Ioan. de hac proposita re inter alia hæc habet: *Postremo quid est, quod omnes nouerunt, signum Christi; nisi Crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur frontibus credentium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo, quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

S. August.

Leo

Leo Magnus. Leo præterea ille magnus huic veritati elegantissime fauet, cum inquit: *Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudaæ templo obumbratis significationibus tegebatur pleno apertoq. sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio sacerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Finem huic capiti imponat Stephani Papæ subscriptio de consecr. dist. v. cap. Numquid, relata in hæc verba: *Numquid non omnia sacerdotalis mysterij chrismata Crucis figura perficiuntur? Numquid baptismatis vnda, nisi Cruce sanctificata peccata relaxantur? Et, vt cetera prætereamus, sine Crucis signaculo quis ad Sacerdotij gradus ascendit?*

De benedictione supra populum.

CAP. IIII.

BREVITATI studens ritum omiseram in Ecclesia frequentissimum, & valde insignem, quo Episcopi, & Presbyteri populo benedicere consueuerunt. Qui benedicendi vsus, vt ex Chrysostomo, Augustino, aliisq. grauissimis Patribus non sine Crucis signo, &, vt Isidorus ait, semper cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis fiebat. Et cum sit Episcoporum, maiorumq. Præsulum quodam modo proprius, Presbyteris tamen aliquando conceditur, cum nimirum absente Episcopo sacra faciunt, vel eo præsente impetrata primum benedicendi facultate: Episcopi vero non solum sacra facientes, vel diuinis officijs præsentes, verumetiam vbique, & semper quoscumque sibi obuios inuenerint, intra dioecesis suæ limites benedicere solent, licet non semper illam solemnitatem adhibeant, qua in fine Missæ vtuntur. Huius vero instituti antiquitas (nam non est quòd de

Chrys. in 1. tom. 4. Hom. 55. in Matth. August. de pec. mor. & remiss. lib. 2. c. 26 Isidor. de diu. offic. lib. 1. c. 17 Microl. de Eccl. obseer. cap. 21.

de eiusdem frequentia, vtpote cunctis notissima differamus) ex eo potissimum colligitur, quòd in veteri testamento non tantum adumbrata, sed ad viuum (vt ita dicam) expressa fuit: nempe quando grandæuus ille Patriarcha Iacob Ephraim, & Manassem nepotibus suis, ex Ioseph progenitis, & in proprios filios ascitis, benedixit. Etenim illud, quod Moyses refert, manus scilicet, supra puerorum capita commutatas fuisse, proculdubio intelligendũ est, eius manus in Crucis figuram fuisse dispositas, & complicatas, vt doctissimus Hieronymus interpretatur his verbis: *Ephraim in typo esse populi de gentibus congregati Scriptura testatur. Fuit enim posterior filius Ioseph, & subripuit primogenita Manasse, qui natura primogenitus erat, sed in mysterio Crucis, decussatis manibus, qui stabat ad sinistram Iacob, dextræ manus eius suscepit benedictionem*. Cui interpretationi subscribit beatus Ioannes Damascenus dicens: *Iacob adorans summitatem virgæ, alternatis, cancellatisq. manibus, filios Ioseph benedicens, signum Crucis manifestissime descripsit*.

Gen.48.

In Hiere. cap.31. to 4.

Isido. Hispalen. in Genesim.

De Orth. fide lib.4. cap.12.

Rupertus Tuitiensis typum hunc clarissime explicauit his verbis: *Sine dubio transpositio manuum Crucis expressit figuram. Numquid in eo sic manus commutando casu Crucem figurauit? Numquid non poterat eadem ratione data Manassem ad dextram, Ephraim vero ad sinistram posuisse? poterat plane, & prophetico spiritu sciebat, quòd per Crucem componenda esset benedictio, quam Legislator daret, vel qua in eo semine benedicerentur omnes Gentes*. Quando vero idem ritus in nouo Testamento originem duxerit, supra in primi capitis fronte indicauimus, cum scilicet omnium Patriarcharum Pater, Pastorum cunctorum primus & antesignanus, animarumq. omnium nostrum Episcopus a sibi charissimis discipulis, quos vere Principes super omnem terram instituerat, discessurus eleuatis manibus eis benedixit, quasi hac ratione significans, & admonens eos, qui ex ipsius instituto sacrificium offerũt, eo loco, id est, in fine Missæ, benedictionem solemniter

De oper. Trin. li.9. cap. 24.

Psal.44

Act.1.

niter impertiri debere; quemadmodum ipse discessurus impertitus est. At si quis res a Redemptore nostro in mortali carne gestas diligenter consideret, plane confitebitur benedictionem illā fuisse finem Missæ per Christum maximum,& sempiternum Pontificem celebratę. Nam in quem, obsecro, finem a palatio suo regio, hoc

Psal.13. est,a summo cælo egressus,in mundissimum almę Virginis vterum descendit, nisi vt in eo tamquam in Pontificio ac sibi soli reseruato, cælestibusq. aulæis, omnibus videlicet virtutibus,& gratiarum coloribus, & splendoribus ornatissimo secretario, seu sacrario ad Missam celebrandam se præpararet, indumentaq. sacratissima ad tanta mysteria complenda necessaria,sine quibus nec sacrificium offerre poterat,Patre, ac Spiritu sancto cooperantibus se indueret? Quod profundissimum mysteriū

Heb. 10. vas electionis Paulus satis obscuram Dauidis sentētiam

Psal.39. elucidans explicauit in hæc verba: *Ideo ingrediens mundum, hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocausta, & pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi:*

Ps. 109. *Ecce venio.* Ex quo secretario æternus ille Sacerdos se-

Psal.18. cundum ordinem Melchisedech (vt Psalmographi verbis vtar) tamquam Sponsus de thalamo suo cælestibus choris,quæ omni populo lætissima futura erant, nunciantibus,egressus exultauit vt gigas ad currendam viā. Quid autem fuit totius vita eius per huiusmodi semitas cursus,nisi solemnissima,& celeberrima quædam, quā

Ioan.1. tamen nō cognoscit mundus, supplicatio,vel processio ad sibi optatissimum, & a se tanto Pontifice consecrandum,& mirifice,ac ineffabili modo exornandum altare Crucis, supra quod salutaris illa victima immolāda, sacrificium illud incendendum, & holocaustum assumendum, ac consummandum, hoc est, Missa pro viuis & defunctis celebranda erat? qua hominum vniuersa peccata remittuntur,& patriæ cælestis aditus a mundi exordio propter primi Parentis nostri culpam nobis clausus,reseratur, & quæ hominum genus per eiusdem

parentis

parentis ipsius inobedientiam incurrerat damna integre resarcita, sufficientissimeq. reparata, ac instaurata fuerunt. Ipsum vero sacrificium perfectissime absolutum fuisse, in ipso celebrationis actu significauit ipse, qui semetipsum obtulit Sacerdos, cum dixit: *Consummatum est.* Ioan. 19. Quod Apostolus paucissimis explicauit superiori a me mox relatæ sententiæ subijciens: *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Heb. 10. Quæ autem postea sequuta sunt, sepultura videlicet, ad inferos descensus, & a mortis resurrectio, quid fuerunt, nisi paucorum, quæ pro integra quadam solemnitate Missæ perficienda erant, adimpletio? Quibus admirabili ordine pro infinita sua sapientia absolutis, non quemadmodum Sacerdotes nostri, rursus Secretarium repetijt, ad sacras vestes deponendas, quia Verbum Dei, sicuti communis Theologorum schola docet, quod semel assumpsit, numquam dimisit, sed ad cæleste, ac æternum palatium, vnde venerat, remeaturus, celebratæ suæ Missæ ministris, illiusq. ab initio vsque in finem auditoribus, discipulisq. inexplicabili, ac incredibili maiestate benedixit: Quam benedictionem mox sequuta est auditorũ dimissio. Nam quod in illius sacrificij incruenti commemorationis fine facit Diaconus, cuius est populũ dimittere, tres illas voces pronunciando, *Ite, Missa est*, suppleuerunt Angeli, qui in vestibus albis astiterunt, dixeruntq. *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum?* Act. 1. Ac si dicerent: Hinc vobis discedere licet: non enim est quòd diutius hoc in loco moram faciatis, Dominum ac Magistrum expectantes, qui non nisi in sæculi consummatione de cælo, ad quod, vobis videntibus, nunc ascendit, rediturus est.

Damasc. lib. 3. de orth. fide cap. 27.

S. Tho. 3. par. q. 50. art. 2. & 3.

Licet autem is a nobis ordo seruetur, vt prius scilicet per Diaconum dimittatur, & postea per Sacerdotẽ benedicatur populus; nihilominus in Missa Ambrosiana statuitur primo benedictio, & mox dimissio populi: Quem morem olim etiam a nostris seruatum fuisse,

Amalar. de Eccl. offi. lib. 2. cap. 36. Rab. mau. de instit. cler. lib. 1. cap. 30. Microl. de Eccle. offi. c. 20.

testantur Amalarius, Rabanus, & qui auctor fuit libri, qui Micrologus dicitur. Et quamuis huiusmodi regula rationi valde consona mihi videatur, videlicet vt non dimittatur populus antea quàm benedictionem acceperit; tamen quia vsu receptum est, vt Diaconus prius pronunciet, *Ite, Missa est*, quàm Sacerdos benedicat, non sine matura consideratione id factum crediderim. Ideo dicerem, illos, qui monent, vt prius dicatur: *Ite, Missa est*, quibus verbis dimittuntur qui sacris interfuerunt, quàm illi a Sacerdote benedicantur, non permittere vt populus dimissus exeat ante acceptam benedictionem: sed quòd illa Diaconi voce admoneantur audiētes (quibus fit abeundi facultas) vt se præparēt ad benedictionem per suum pastorem exhibendam, debita cum animi humilitate, & corporis summissione accipiēdam.

De diuin. offic. cap. celebrat. Miss. ad fi.

Quod his verbis indicare videtur Albinus: *Finitis omnibus, adstanti, & obseruanti populo absolutio datur, inclamante Diacono: Ite, Missa est.* Quemadmodum & Amalarius sentire videtur laudabilem vsum in familiari consuetudine a Patrum exemplis acceptum, & in familiari conuersatione seruatum afferens in hæc verba: *Et vt cetera prætermittam, sanctorum Patrum exempla, causa compendij breuiter dico: Quando familiarem affatum habemus cum seruis Dei, more religionis nostræ antequam separemur ab illis, in vltimo benedictionem petimus.* Vt interim non omittam orationem, quæ, peracta communione, dicitur, appellari benedictionem vltimam, & eam, quæ super populum, præsertim in ferijs Quadragesimę dici cōsueuit, vlteriorem vltimam nominari. Immo & ante sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem benedictio ab Episcopo porrigebatur, vt illi, qui Corpus Domini sumpturi essent, cælesti benedictione cumulari possent. De qua re in Concil. III. Toletano, cap. XVII. statutum est his verbis: *Nonnulli Sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem populo dant: quod deinceps interdicimus: sed post orationem Dominicam benedi-*

De Eccl. offi. lib. 3. cap. 37.

Amal. quibus supra. lib. & cap.

Concil. Tolet.

ctio

ctio in populo sequatur. Verum vt tandem ad id, a quo digressi sumus, reuertamur, de multis pauca, & quidem illustriora testimonia in medium proferamus, quibus formandæ Crucis ritus super populum non minus vtilitatem, quàm antiquitatem demonstremus. Occurrit autem primo loco beati Cyrilli Hierosolymitani de Crucis formatione sententia: *Magna est hæc custodia* (quasi dicat, & propterea non parum æstimanda) *quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cum a Deo sit hæc gratia, signum fidelium, & timor dæmonum: triumphauit enim de illis hoc signo*. Deinde accedit Concilij Agathensis auctoritas, cui in hac re subscripsit Aurelianen. III. vbi Patres hunc ritum ita probarunt, vt cauerent maxime ne populus, qui die Dominico totas Missas audire iubetur, ante Episcopi, si adsit; sin minus, Presbyteri benedictionem egredi præsumat. Quæ cum quibusdam verborum formulis enuncietur, non ab re beatus Isidorus Hispalensis consuetudinem benedictionis, quæ a Sacerdotibus confertur populo, asserit a Moyse, qui vt Sacerdos solemniter diuina numinis inuocatione super populum precatus est, acceptam fuisse.

Sed ex recentioribus Rodulphus Decanus Tungrensis, benedictiones, quæ populo adhibentur ab Episcopis, Martialis Episcopi Apostolorum discipuli testimonio, ex ipsorum Apostolorum ministerio deductas existimat. **Quas* (sunt autem hæc ipsa eius verba) *probabile studium seruientium auxit, Ambrosius dicere cæpit*.

Hinc forte ortum habuerunt CXLVIII. illæ benedicendi populo formulæ a Grimoldo Abbate collectæ, quas Iacobus Pamelius vir eruditissimus Tomo II. Liturgicon Ecclesiæ Latinæ adiungi curauit. Quarum plurima adhuc extant in libris Pontificalibus, licet in vsu esse iam pridem desierint. Hæc dicta sint de Episcopali, & Sacerdotali benedictione. De qua re D. Iosephus Stephanus Valentinus Episcopus Vestanus in cap. XVI. libri de osculatione pedum Romani

[Margin notes:] Cathec. 13. — Agathen. cōcilium cap. 47. — Aurelian. concil. 3. cap. 43. — De cōsec. d. 1. cap. Missas. die Dominico, & c. — Omnes fideles. — De offic. Eccl. li. 2. c. 17. nu. 6 — De can. obseruat. proposit. vltima. — * Ita habet, sed fortasse mēdo nō carēs, lectio. — Grimoldus. — Pamelius — Ioseph. Stephan. Valent.

Pontificis, quem nunc ſecundò additionibus locupletatum in lucem edidit, conſulendus erit. Sicui autem gratum fuerit de benedictione menſæ ſine Crucis ſignaculo haudquaquam fieri ſolitæ, vt credibile eſt, teſtimo-
S.Auguſt. nium habere, legat Sancti Auguſtini initium cap. XXII. lib. II. de peccat. mort. & remiſſ. vbi poſt pauca ita habet: *Verum & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentan-*
1.Tim.4 *da huius vitæ alimur, ſanctificari, idem Apoſtolus dixit, per verbum Dei, & orationem, qua oramus vtique noſtra corpora refecturi.*

Crucis in ſubiecta aliqua materia efformanda vſum apud veteres frequentiſſimum fuiſſe, probatur.

CAP. V.

HVCVSQVE ſatis dictum eſt de vſu formandi ſignum Crucis ſola dextera, nullo in re ſignata veſtigio, quod ſenſu percipi poſſit, relicto. Reſtat modo vt in huius primæ partis calce de ſignandi conſuetudine dicatur, quando nimirum Crucis ſignum pictura, ſculptura, textura, ſutura, vel quacumque alia ratione cernitur expreſſum. Prima autem huius rei demonſtratio peti poteſt ex Ioannis vaticinio, vel potius (ni fallor) veriſſimo exemplo, quo illius crebra frequentia, atque etiam antiquitas probatur, vt in Apocalypſi legitur
Apoc.7. his verbis: *Ecce ego Ioannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quattuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Et audiui numerum ſignatorum centum quadraginta quattuor millia ex*

omni

omni Tribu filiorum Israel. Ex tali itaque,tantoq. testimonio constat signandi antiquitas; necnō a numero signatorum eiusdem signi frequentia. Quòd autem hæc verba de signo Crucis intelligenda sint, nemini dubium erit,qui Andream Cæsariensem,Bedam,Oecumenium, & Anselmum in huius loci commentariis consulat: Omnes enim hoc Ioannis testimonium,ad Crucis significationem, & impressionem transtulerunt: quoniam signum,de quo loquitur Apostolus, præter inuisibilem characterem, ac mysticam consignationem; impressionem quoque in fronte, ceu sigillum quoddam significare,vis græcæ dictionis σφραγῖδα, qua vtitur Ioannes, satis indicare videtur.

Eadem quoque ratione Ezechielis verba de littera Thau,quæ in frontibus gementium,iussu Dei imprimēda erat, de Cruce intelligenda sunt, teste Tertulliano lib. IIII. aduersus Marcionem, & beato Cypriano lib. II. testimoniorum aduersus Quirinum cap. XXII. cum ea ex atramento efformanda dicatur: litteram enim illam, Crucis figuram habuisse, in eius Prophetæ commentarijs cap. XIIII. docet sanctus Hieronymus his verbis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani, extrema Thau littera Crucis habet similitudinem,quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur.* *Ezec. 9.* S. Hieronymus. Ruper. in Ezec.li.I. cap.32.

Hanc vero formationem Crucis non solum in fronte, sed in alijs quoque membris, faciendam fore Isaias fuerat vaticinatus his verbis: *Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Iacob. & hic scribet manu sua, Domino: & in nomine Israel assimilabitur.* Vti enim Procopius Gazæus in illius loci interpretatione demonstrat, permulti Christiani Crucis signa in palmis, & brachiis sibi inuri curabant; fortasse quemadmodum nunc a multis fieri videmus, qui in fronte, seu in manibus seruorum, qui Christi fidem in adulta ætate suscipiunt, Crucis signum cæruleis notis inurunt. *Isa.44.* Procopius.

An-

Antiquitatem ſculpendæ Crucis in petra ad ipſorum ſanctiſſimorum Apoſtolorum ætatem referri debere, beatiſſimi Thomæ Apoſtoli hiſtoria ab Oſorio Siluenſi Epiſcopo de rebus ab Emanuele Luſitaniæ Rege in India geſtis lib. III. ad finem eleganter narrata demonſtrat his verbis: *Anno a Chriſto nato* M.D.LXII. *Pontifex Cochienſis miſit ad Henricum Cardinalem teſtimonium publicis litteris conſignatum, quod hiſtoriam commemoratione dignam continebat: In ea ciuitate, quam diximus appellari Malipurem, & nunc, poſtquam a Luſitanis frequentari cœpit, Sancti Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle ſacellum ædificatum, eo quòd affirmarent incolæ in eo loco Thomam fuiſſe a Religionis hoſtibus interfectum. Erat autem hoc ſolemniter inſtitutum, vt in eo ſacello octo diebus ante Natalem Chriſti res diuina fieret, & omnes Chriſtiani in eo conuenirent. Fuerat autem ante quattuordecim annos in eo colle inuenta Crux in lapide inciſa, in cuius faſtigio columbæ imago deſidebat, baſis vero erat in ſpecie quadam herbarum, quæ diffundi latiſſime videbantur collocata, & tam faſtigium quàm baſis, & brachia in liliorum formam deſinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arca erant inciſæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat ſatis magnum, fuit ſuper altare eiuſdem ſacelli multorum operis ſtatutum*. Hęc Oſorius. Subijcitur ibidem inſigne miraculum guttarum ſanguinis a Cruce illa in lapide inſculpta defluentium, ſed ne longius digrediamur, ſatis ſit locum indicaſſe.

Oſorius.

Pingendi autem in muris Crucis viuificæ ſignum frequentem vſum inter cetera demonſtrant Templorum noſtrorum parietes, qui in eorum dedicatione antiquiſſimo de more duodecim crucibus rubro colore formatis exornantur, & inſigniuntur, vt referunt Petrus Damianus ſerm. I. de dedicatione Eccleſiæ, & coætaneus ipſius Iuo Carnotenſis Epiſcopus ſerm. de Sacramentis dedicationis in lib. de diuinis officijs. Cuius conſuetudinis non ſolum in Eccleſiaſticis, ſed etiam in prophanis, & communibus fabricis, & ædificijs antiquitatem, & frequentiam

Petrus Dam. Iuo Carnoten.

quentiam

quentiam perpulchro hoc exemplo oſtendit Ruffinus ad Euſebij hiſtoriam lib.xj.cap.xxix. dicens: *Sed & illud apud Alexandriam geſtum eſt, quòd etiam Thoraces Serapis, qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam, ac feneſtris erant, ita abſciſsi ſunt omnes, & abraſi, vt ne veſtigium quidem vſquam, uel nominis appellatio, aut ipſius, aut cuiuſlibet alterius dæmonis remaneret. Sed pro his Crucis Dominicæ ſignum vnuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, ac columnis pingeret. Quod cum factum eſſe hi, qui ſuperfuerant ex paganis, viderent, in recordationem rei magnæ ex traditione ſibimet antiquitus commendata veniſſe perhibentur. Signum hoc noſtrum Dominicæ Crucis inter illas, quas dicunt ἱερατικάς, ideſt ſacerdotales litteras habere Aegyptij dicuntur, velut vnum ex ceteris litterarum, quæ apud illos ſunt elementis. Cuius litteræ, ſeu vocabuli hanc eſſe aſſerunt interpretationem: Vita ventura. Dicebant ergo, qui tunc admiratione rerum geſtarum conuertebantur ad fidem, ita ſibi ab antiquis traditum, quòd hæc, quæ nunc coluntur, tamdiu ſtarent, quamdiu viderent ſignum iſtud veniſſe, in quo eſſet vita. Vnde accidit, vt magis hi, qui erant ex Sacerdotibus, vel Miniſtris templorum, ad fidem conuerterentur, quàm illi, quos errorum præſtigia, & deceptionum machinæ delectabant.* Hæc autem vbique & ab omnibus cuiuſcumque conditionis hominibus in vſu poſitum fuiſſe, eleganti carmine explicauit Prudentius:

Ruffinus lib. 2. ſed 11. in ord. ad lib. Euſeb.

Greg. Naziā. in inſomnio de Anaſtaſiæ Eccleſia.

In Peri Stephanon, hymno 10.

Reges, Prophetæ, Iudices, & Principes,
Virtute, bellis, cultibus, ſacris, ſtylo,
Non deſtiterunt pingere hanc formam Crucis.
Crux prænotata, crux adumbrata eſt prius,
Crucem vetuſta combiberunt ſæcula.

Sed adiungemus Ioannis Chryſoſtomi teſtimonium, quo frequentiſſimus Crucis vſus maxime commẽdatur; ait enim de Cruce: *Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigio, in inſulis; in lectis, in veſtibus, in ramis, in thalamis, in ſympoſijs, in vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis male affectis,*

In demõſtra. quòd Chriſtus ſit Deus.

ctis: in bello, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus, adeo certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Et paucis omnia complectens adiungit: *In precibus Crux, in purpureis Crux, in diadematis Crux, in armis Crux, & in mensa sacra Crux, & in toto orbe Crux, & super solem fulget Crux.* Horum similia referuntur in Nicęna Synodo II. ex verbis Leontij Episcopi Neapoleos Cypri in eo Concilio recitatis, quæ sic habent: *Hinc etiam propter Christum, Christiq. passiones passim in Ecclesijs, in domibus & in foro, in picturis, in sindonibus, in promptuarijs, in vestibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus.*

To. 2. Cōcil. in Synodo Nicæno 2. act. 4.

Nec prætereundum videtur quod Cassiodorus Tripert. hist. lib. 1. cap. IX. refert ex Socrate de Constantino Magno dicens: *Assuescens autem milites, vt, sicut ipse, Deum colerent, signo Crucis eorum arma signabat.*

Cassiodorus.

Antiquissimus ergo est, & illis temporibus frequentissimus erat vsus circumferendi signum Crucis in vestibus sacris, in indumentis Monachorum, & in ipsorum etiā militum armaturis. Vnde non est mirum, quòd tam multis, varijsq. modis hic vsus in Ecclesia Catholica fuerit mirabiliter propagatus. Taceo nunc Cruces ex pretiosa materia, eleganti q. artificio varijs, multiplicibusq. ministrorum Ecclesiæ indumentis appositas, quæ intuentium oculos iucundissime afficiunt.

Quis nunc enumerabit tot Equites illustrium militiarum; tot Monachos, & alios regularis vitæ professores, tam multis, & in materia, & in forma, & colore diuersis Crucibus insignitos? Omitto innumerabiles exercitus Cruce signatorum, qui primum sub Vrbano II. deinde sub Innocentio III. pro recuperanda Terra sancta certatim arma sumpserunt. At illud minime prætereundum, quòd sacri signi huius in lapidibus insculpendi adeo frequens apud veteres vsus fuit, vt in silicibus, ac marmoribus, humi, & in pauimentis, licet imperite nimis, & irreligiose, insculperetur. Id ne quis in posterum

Cruce signati.

auderet,

auderet, Theodosij & Valentiniani legibus ita cautum fuit: *Cum sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri, signum Saluatoris nostri Christi, nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere, vel pingere; sed quodcumque reperitur tolli, grauissima pœna mulctando eos, qui contrarium statutis nostris tentauerint, specialiter imperamus. Datum xij. Kalend. Iun. Hierid. & Ardubario Consulibus.* L. vnica, cap. Nemini lic.

Cuius prohibitionis vsus quantopere Deo gratus extiterit, manifestissime declarauit omni memoria dignũ exemplum, quod Paulus Diaconus in historia Miscell. lib. xvij. & beatus Gregorius Turonen. de Tiberio II. Imperatore narrant in hæc verba: *Et quia magnus, & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua Crux marmorea erat insculpta, & ait: Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus, & pectora: & ecce Crucem sub pedibus conculcamus.* Et dicto citius, iussit eam auferri. Defossaq. tabula, atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem, quam & iussit amoueri: qua amota reperiunt & tertiam, iussuq. eius hæc etiam aufertur: ea vero sublata, inueniunt arcam magnum thesaurum habentem supra millia centenaria auri, sublatumq. aurum pauperibus adhuc abundantius, vt consueuerat, subministrat; nec ei Dominus aliquid deficere permittebat pro bona voluntate. Sed cum hominum iniuria Imperatorum constitutio in desuetudinem abijsset, in vj. Synodo, can. 73. omnium Patrum consensione edictum ac imperatum fuit ne quisquam Crucis sacratissimæ signum humi depingeret his ipsis verbis: *Cum Crux nobis viuifica illud salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, vt ei, per quam ab antiquo lapsu saluati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. Quamobrem & mente, & sermone, & sensu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ a nonnullis in solo, ac pauimento*

Paulus Diaconus Greg. Turonen.

Syn. 6.

ſunt, omnino deleri mandamus, ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps Crucis ſignum in ſolo conſtruunt, ſegregari decernimus. Sed ſi fortaſſe alicui Crucis in ære, & metallis alijs imprimendæ frequentia, vel antiquitas ſatis nota non ſit, numiſmata is, argenteos ſcilicet, & aureos nũmos inſpiciat, qui a Conſtantini magni feliciſſimo illo ſæculo ad noſtrã vſque ætatem præclariſſimæ Crucis imagine inſigniti peruenere. Ita enim illi cum ſigno Crucis excudi ſolebant, vt tanti miraculi, atque victoriæ, quæ per Crucem Imperatori contigerat, memoriam retinerent, vt teſtatur Sozomen. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 8. his verbis: *Quin etiam ſuam imaginem, ſeu in nummis expreſſam, ſeu depictam, in tabulis iuſſit ſemper hoc quoque diuino ſigno inſcribi, conſignariq. Cuius rei etiam adhuc teſtimonio ſunt imagines eius hac figura deſcriptæ.* Quod forte ab eodem auctore acceptum retulit Nicephorus hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 47. in hæc verba: *Quam etiam ob cauſam eam* (videlicet Crucem) *ſummopere in veneratione habens in nummis ſuis & imaginibus omnibus inſculpi, inſcribiq. fecit. Teſtantur hoc imagines eius, eo habitu, & forma propoſitæ.*

Sozom.

Nicephorus.

Sed quid Lectorem moror in oſtendenda Crucis antiquitate, ac frequentia tantummodo in ſacramentis, & ſacramentalibus, & in ceteris ad diuinum cultum vel quacumque alia ratione ad Chriſtianam pietatem ſpectantibus, cum & ipſa quotidiana munia, in quibus miſeri homines mortales pro corporis vita tuenda ſe diuerſis modis excruciant, non ſine Crucis figura in illis quodam modo impreſſa expleri poſſint, licet, vt beatus Iuſtinus ait, non omnes aliud agẽtes aduertant? In cuius rei conſiderationem Mediolanẽſium Paſtor Ambroſius, vt omnes adduceret, dicebat: *Grande Crucis eſt ſacramentum: & ſi intelligamus, per hoc ſignum etiam mundus ipſe ſaluatur: nam cum a nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, vt Cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc Dominico ſecuri ſigno portum ſalutis* petunt,

Iuſtin. apol. 2.

Ambr. to. 5. ſerm. 2. de Cruce in Paraſceue, in ord. 52.

petunt, periculum mortis euadunt. Et infra: *Sed & bonus agricola cum parat terræ solum vertere, & vitæ alimenta perquirere, non nisi per signum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale subijcit, affigit aures, stiuam inserit, figuram Crucis imitatur: compactio enim ipsa similitudo quædam est Dominicæ passionis.*

Neque vero Crucis antiquitatem, ac frequentiam in ijs tantummodo, quæ hominum industria & arte fiunt, licet agnoscere, cum simul ipso cum tempore Crux esse cœperit, & in ipso cælo, quod vnà cum tempore, & motu initium habuit, ab eius opifice figurata descriptaq. videatur, & quidem tanta cum æquali partium commensuratione, atque frequentia, vt numquam non appareat: & in ipsismet hominibus brachiorum apta dispositione cernatur, eodem Ambrosio teste, qui de cælo ita dicit: *Cælum quoque ipsum huius signi figura dispositum est. Nam cum quattuor partibus, hoc est, Oriente, & Occidente, Meridiano, & Septentrione distinguitur, quattuor quasi Crucis angulis continetur*. De homine vero subdit: *Ipsius etiam incessus hominis cum manus leuauerit, Crucem pingit, atque adeo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur*. Et paulo infra: *Hoc igitur Dominico signo frangitur mare, terra colitur, cælum regitur, homines conseruantur.*

S.Ambr. eisdé to. & serm.

Horum similia S. Hieronymus, siue quicumque fuerit auctor eorum, quæ illi adscribuntur, commentariorum in Marcum, explicauit his verbis: *Ipsa species Crucis, quid est nisi quadrata forma mundi? Oriens de vertice fulgens: Arcton dextra tenet: Auster in læua consistit: Occidens sub plantis firmatur. Vnde Apostolus dicit: Vt sciamus, quæ sit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum. Aues quando volant ad æthera, formam Crucis assumunt: homo natans per aquas, vel orans, forma Crucis vehitur: nauis per maria antenna Cruci similata sufflatur*. Et re vera nulla est figura om-

In Marc. cap. 15. to. 6.

Ephes. 3.

nibus tam natura, quàm ab arte effectis ita communis, nec oculis hominum æque grata, sicut est figura Crucis. Cui Albinus Flaccus inter omnes creaturas apicem, primatumq. concedit, dicens: *Quattuor litteræ in lamina scriptæ, quattuor sunt cornua Crucis totum mundum complectentis: Cruci enim Christi in omni creatura apex conceditur, qua omnium fidelium frontes signantur.* Ad cuius figuræ inter ceteras omnes dignitatem intelligendam, non ingratum erit Lectori hic scribere, quæ Marsilius Ficinus, & Cælius Rhodiginus de illa ex Arabum sententia referunt: *Traditum est ab Arabibus, Crucis figuram videri ceteras quotquot sunt præstare, quoniam superficies prima, Cruce describitur: sic enim in primis longitudinem habent atque latitudinem, primaq. hæc figura est & omnium recta quàm maxime, constansq. rectis angulis quattuor: Effectus vero cælestium maxime per rectitudinem angulorum, radiorumq. resultant. Tunc enim stellarum potestas prævalet, quando cæli quattuor habeant angulos, vel cardines potius, Orientis videlicet, Occidentis, & medij vtrinque cæli. Sic vero dispositæ radios ita conijciunt in se inuicem, vt Crucem inde constituant:* Et infra: *Ego vero quod de Crucis excellentia fuit apud Ægyptios ante Christi aduentum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quàm virtutis præsagium, quam a Christo fuerat acceptura.*

De diu. off. cap. de singul. vestibus.

Marsil. Ficin. lib. 3. cap. 18. de vit. cælitus cōparanda, & Cæl. Rhodig. li. 10. Antiq. lectio. cap. 8 tom. 1. in Editionibus recentioribus, & ab eodē auctis: in vetustioribus autē lib. 6 Marsilius floruit anno 1490. Rhodig. autē circa annum 1500.

Nec illud consideratione indignum est, quod Pererius Valentinus in egregijs suis in Danielem commentarijs de Stella, quæ Crucifer dicitur, se accepisse narrat his verbis: *Qui ad nos scripserunt, vel etiam venerunt ex regione Americana, quæ cælo Antarctico subiecta est, affirmarunt in eo cælo, nec tot cerni stellas, quot in Arctico, easq. minus fulgere, aspectuq. notabiles, præter vnam quandam valde illustrem syderum speciem & effigiem, quam Cruciferum appellant. Hoc sydus quattuor ex fulgentibus ex æquo fere distantibus stellis in similitudinem Crucis pulcherrimæ figuratum est.* Ex quibus optime deduci potest imaginis Crucis excellentia, quæ tanta est, vt non tantum figuras naturales, verum & Astro-

Lib. 4.

Astrologicas, & Mathematicas superet.

Sed vt ad ritum Cruce signandi sermonem conuertamus, innumera profecto alia Patrum dicta, & aliorum Sanctorum exempla prope infinita nō deessent ad eiusmodi ritus antiquitatem, & frequentiam confirmandam: a quibus supersedendum existimaui, quia per ea, quæ dicta sunt, satis superq. probatas censeo: Nam quæ maior antiquitas, vt de hac præcipue loquamur, desiderari potest, quàm quòd hic se signandi adhibito Crucis signaculo vsus vnà cum ipso nomine Christiano, Christianisq. ipsis initium, & ortum acceperit, progressionemq. fecerit? At clarissime iam constat, eos, qui post Christum Ecclesiæ fundamenta iecerunt, sanctissimos videlicet Apostolos, & qui eandem surgentem suo sanguine irrigarunt, hoc est beatissimos Martyres sacra huiusmodi figura se pie muniuisse, atque signasse, eiusq. vsum omnibus fidelibus tradidisse. Cuinam vero hæc exacte ac diligenter explanata nō videatur? Patet enim neminem ex ijs, qui Christo nomen dederunt, ab ipsa nascentis Ecclesiæ infantia, Christiano huiusmodi symbolo tum ab alijs, tum a semetipso, & quidem sæpissime, insignitum non fuisse. Ne igitur in re manifestissima frustra versari, ac laborare videamur, ad ea, quæ in secundo Libro explicare proposuimus, redeamus; sed prius nonnulla enarremus exempla illorum, qui grauissima damna passi sunt ob Crucis viuificæ signaculum neglectum.

Varij

Varijs exemplis ostenditur, illos multis periculis subiectos esse, qui se, suaq. signaculo Crucis munire negligunt.

CAP. VI.

MANIFESTISSIME demonstrat id, quod probandum sumpsimus, historia de sanctimoniali a Magno Gregorio lib. 1. Dialog. cap. 4. in hæc verba relata: *Quadam die vna Dei famula ex eodem monasterio Virginum, hortum ingressa est, quæ lactucam conspiciens concupiuit, eamq. signo Crucis benedicere oblita, auide momordit: sed arrepta a dæmone protinus cecidit.* Facit præterea ad eandem rem confirmãdam quod idem grauissimus Auctor de Martyrio monacho refert in hunc modum: *Dum quadam die Fratres illius panem subcinericium fecissent, eiq. obliti essent signum Crucis imprimere sicuti in hac prouincia crudi panes signo signari solent, vt per quadras quattuor partiti videantur, idem Dei famulus affuit, eisq. referentibus signatũ non fuisse cognouit. Cumq. iam panis ille prunis esset, & cineribus coopertus, dixit: Quare hunc minime signastis? Qui hoc dicens, signum Crucis digito contra prunas fecit. Quo signante, protinus immensum crepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset. Qui dum coctus postmodum fuisset, ab igne subtractus, ea Cruce signatus inuentus est, quam non contactus, sed fides fecit.* Extat tertio insigne Ketelli exemplum a Gullielmo Neobrigensi scriptis traditum in hæc verba: *Contigit Ketellum aliquando eorundem pene hostium, dæmonum sæuitiam experiri: Fessus ex agrario opere domum reuersus, dum somno grauaretur, sacri se signaculi nequaquam impresione muniuit. Dormienti loco solito soli, astiterunt duo dæmones sæui nimis, atque terribiles: & excitatum apprehendentes: Surge* (inquiunt) *Ketelle, incidisti in manus nostras, infestos sentire habes, quos prouocare minime timuisti, quorum mysteria toties prodidisti. Ille subito casu attonitus nomen Christi inuocare, & signare se voluit,*

Greg. Magnus li. 1. Dial. c. 4.

Greg. li. 1. Dial. c. 11.

De rebus Angl. lib. 2. cap. 21.

luit, nec valuit: manus enim eius ac lingua tenebantur, ne sacri vel signi, vel nominis munimine tueretur. Noli (inquiunt) *Ketelle frustra conari, manum, linguamq. tuam ligauimus, vt nihil tibi aduersum nos valeat suffragari. Cumq. de illo ita triumphare viderentur, & malum, quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque insultatorijs praeuenirent, repente iuuenis splendidus bipennem manu ferens introijt, stansq. in medio bipenni molliter digito tacto sonitum ingentem dedit. Quo sonitu exterriti daemones, relicto, de quo triumphare coeperunt, homine, diffugerunt. Tunc accedens iuuenis, quem eiusdem hominis credo fuisse Angelum, Ketelle* (inquit) *negligentia tua pene te nunc periclitari fecit, caue ne vlterius te inueniant insidiantes tibi hostes inermem. Inermem proculdubio eum dixit, quia sibi Crucis signum non impresserat.*

Hæc in eum finem relata sunt, vt nos aliorum periculis cauti effecti, & quantæ virtutis Crucis signum sit edocti, numquam fortissimo huiusmodi clypeo nos ipsos munire negligamus, nullum opus inchoemus, nisi hoc sacro signo pie præmisso. Pie, inquam, quia non desunt, qui eodem impie, & in suam quidem ipsorum perniciem abutantur: quos admonens Origenes dicit: *Vt ergo non exprobremur ab insipiente diabolo, conuertamus nos ab omnibus iniquitatibus nostris, ne deprehendens in nobis maculas peccatorum, id est, suae voluntatis insignia, exprobret, & dicat: Ecce hic Christianus dicebatur, & signo Crucis signabatur in fronte, meas autem voluntates, & mea chirographa gerebat in corde.* Quod apertius explicatur a beatissimo Patre Augustino in hæc verba: *Omnis, qui ad aliquid malum opus currit, si forte pedem impegerit, signat os suum, & nescit, quòd includit potius daemonem, quàm excludat. Tunc enim bene se signaret, & diabolum de corde suo depelleret, si se ab illo opere nefando reuocaret.* Vnde & supra de ijs, qui ad spectacula furiosa, vel cruenta, vel turpia currebant, præmiserat: *Qui si forte in ipso circo aliqua ex parte expauescant, continuo se signant, & stant illic portantes in fronte, vnde abscederent si hoc in corde portarent.* Pie autem illum se signare

Sup Psal. 38. hom. 2

Lib. 50. homiliarum. homil. 21. sub init. Ruper. in Leuit. lib. 1. cap. 33.

gnare crediderim, qui imprimendo sibi Crucis signaculum, illo se totum, & omnes suas actiones sanctissimæ Trinitati, in cuius nomine se signat, dicare: & eius numini consecrare studet, & quasi cum Apostolo dicit: *Christo confixus sum Cruci:* Manus, inquam, pedes, & reliqua membra mea confixi, vt numquam proprio, sed semper Christi arbitrio illis vtar, vnoq. eius spiritu ducar, vt qui illius semper voluntatem, & meam nūquam, me facturum toto & sincero corde profitear.

Gal. 2.

Hinc vero omnia feliciter cuique cessura, omniaq. cōsolationis genera euentura non secus ac si ipsum Dominum in forma visibili præsentē haberet certo polliceor, idq. nō meis, sed Augustini sanctissimi Patris verbis, qui ita ait: *Quod faciebat in terris corporis Christi præsentia, hoc facit cū fideli inuocatione nominis Christi victoriosæ Crucis insignita memoria*. Et paulo superius ait: *Qui hoc mare magnū, & spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, absque naufragio transire desiderat, Crucem sequatur, Crucem teneat, & eam non deserat donec ad optatum salutis portum perueniat. Hoc cursum nostrum dirigit: Hoc ad agonem nos instruit: Hoc in luctamine nos adiuuat: Hoc ad victoriam prouehit: Hoc maleficia destruit, & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit*. Hæc Augustinus: qui cur Dominus crucifigi, & non præcipitari, vel lapidari, seu gladio truncari voluerit, rationem afferens, inquit: *Vtique causa nostræ salutis hoc fecit. Mors enim Christi, signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut etiam gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur: elegit vero Crucem, quæ leui motu manus exprimitur, qua & contra mundi versutias munimur.*

De Sanct. Serm. 19. in fi.to.10

S.August. de temp. serm.181. cap. 3.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER



LIBER SECVNDVS

De antiquitate ritus deferendi Vexillum viuificæ CRVCIS summo Pontifici in publicum prodeunti.



Crux corpore, & mente tollitur.

CAP. I.

INNOCENTIVS Pontifex huius nominis III. (vt hinc secundi Libri exordium ducamus) interpretans illud Lucæ 9. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*, docet Crucem tolli, vt ipsius verbis vtar, spiritualiter & materialiter. Et prosequitur: Spiritualiter quidem duobus modis, per mentis scilicet compassionem, & carnis afflictionem. Cum enim, ait, quisque cruciatur in corde compatiendo proximo, tunc vtique Crucem tollit cum Apostolo, qui dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Cum vero cruciatur in corpore, affligendo seipsum, tunc etiã cum Apostolo Crucem tollit, qui ait: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Alia præterea ratione, materialiter videlicet, duobus quoque modis Crux tollitur: Nam in signum religionis quidam arctioris vitæ genus amplexati, Crucem

Sem. 1. de vno Martyre.

Greg. in Euãg. homil. 32.

2. Cor. 11.

1. Cor. 9.

portant, vt ostendant se spirituali & speciali quodã modo mancipatos esse ad obsequium Crucifixi. De quibus & speciatim de illis, qui foris tantum, & non in corde Crucem gestant, sapide scripsit Saluianus Massiliensis Episcopus in hæc verba: *Nam & qui renunciare diuitijs videntur, non sic renunciant vt penitus renunciasse videantur: & qui putantur Crucem portare, sic portant, vt plus habeant in Cruce dignitatis, quàm in Passione supplicij.* Alij in supplicium, vt qui pro iustitia vel offensá olim Cruci affigebantur, quemadmodum iuxta Crucem IESV duo latrones crucifixi fuerunt, vnus a dextris, alter a sinistris. Nostrũ autem institutũ est de materiali, & ea quidem publica gestatione tractare: cuius plane, publicæ, inquam, manifestæq. gestationis, licet ante Constantini magni Imperatoris ad Christum conuersionem, nullum exemplum hactenus inuenire potuerim, id enim sæuientium in Christianos Tyrannorum impietas, & persequutio, nec passim, nec palam, nec honorifice fieri permittebat; nihilominus tamen præter priuatam Crucem, quam quisque Christianus apud se deferebat, qualem porro gestasse Procopium martyrem ex auro confectam refert Metaphrastes, facile adducor vt credam, Christi fideles nullibi ad sacra facienda, & suscipienda: & ad Dei verbum in communi audiendum conuenire solitos fuisse absque sanctissimi Vexilli Crucis eleuatione, salutatione, & adoratione. In locis vero, quorum incolæ omnes, vel pars illorum maior Dei, & Virginis Filio nomen dederant, nemini dubium esse arbitrarer, salutaris Crucis trophæum tamquam victoriæ signum palam & publice circumductum.

To. 3. Bibliot. SS. Patrũ, de prouiden. Dei. lib. 3

Matt. 27

ApudSur. die 8. Iulij to. 4. Lipom. tom. 6.

De

De Crucis erectione, ac fixione, durante idolatrarum Principum in Christianos persecutione.

CAP. II.

CRVCIS, quam materialem dicimus, duplex in Ecclesia semper fuit vsus, nam vel in certo loco statui, & affigi, vel de loco ad locum circumferri consueuit. De vtroque dicendum est: Et primo de fixione, tum quoniam hæc circumlationem tempore præcessit, tum etiam, & maxime, quia de circumferendæ Crucis vsu longe prolixior sermo habēdus est: ad illum enim omnis hæc a nobis tamquam ad scopum dirigitur disputatio. Quis autem in dubium reuocet sanctæ Crucis fixionem multis annis antecessisse eiusdem circumferendæ ritum, plurimasq. alias, ac fere sacras omnes Ecclesiæ cæremonias? Declarat id in primis vsus sacratissimæ illius, ac felicissimæ Crucis, propter quam ceteræ Cruces omnes in veneratione esse cœperunt: nam in Caluariæ monte primum defixa fuit: in quo post aliquot sæcula Helenæ Imperatricis iussu celeberrimum templum ædificandum erat, quasi præsagium, & felicissimum quoddam auspicium illius consuetudinis in Ecclesiam inferendæ, quæ a sanctorum Apostolorum ducta temporibus in hãc vsque diem religiosissime seruatur, nimirum vt in locis templorum, ad Dei Sanctorumq. honorem ædificandorum, ante omnia Crux per Episcopū defigatur, & hac ratione diuino cultui ea dicata esse significentur. Indicatur hoc in xxxj. canone Apostolorum, in quo presbyter condemnatur, qui, contempto proprio Episcopo, altare fixerit: vbi Theodorus Balsamon, σαυροπηγίαν, idest Crucis fixionem, pro altaris constructione intelligit; quæ a solis Episcopis statui, &

Crucis vsus in Ecclesia duplex.

Præsagiū felicissimum.

Theodorus Balsamon.

affigi debet, cum soli ipsi affigendarum Crucum, & construendorum altarium habeant facultatem.

Suffragatur huic veritati Syluani Troadis Episcopi ætati Apostolorum proximi exemplum, qui vt Simeon Metaphrastes refert, Crucem plantauit vbi fundaturus erat Ecclesiam apud reliquias gloriosi Episcopi, & martyris Cornelij Centurionis, ab ipsomet Martyre illi reuelatas, Metaphrastis quidem verba huiusmodi sunt: *Cum precatus fuisset, & Crucem fixisset in terram, & manum iniecisset, ipsas excidit radices, &c.* Quem ritum adeo probauit posteritas, vt tam sæcularis, quàm Ecclesiastica potestas de illo minime negligendo legem tulerint. De illo siquidem Aurelianen. Concilium ita decreuit, & habetur de consecr. distin. 1. cap. *Nemo Ecclesiam ædificet antequam Episcopus Ciuitatis veniat, vt Crucem figat.* Et in Nicæna Synodo II. act. III. referuntur ex Epistola beati Nili ad Olympiodorum Proconsulem hæc verba: *Debet enim esse firmæ, & virilis sententiæ genuinum in sacro loco ab Oriente sanctissimi templi vnicam & solam effigiari Crucem.* Iustinianus vero Imperator de eodẽ ritu in perpetuum seruando ita sanciuit: *Si quis voluerit fabricare oratorium aut monasterium, præcipimus non aliter inchoandam fabricam, nisi locorum sanctissimus Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem Crucem fixerit.* Cuius plane legis ab Ecclesia perpetuo seruatæ testis est liber Pontificalis in 2. parte, vbi cũ agitur de benedictione primarij lapidis pro Ecclesia ædificanda, lex in hanc formam statuitur: *Nemo Ecclesiam ædificet priusquam Episcopi indicio locus, & atrium designetur, & per eum, vel eius auctoritate Crux in loco figatur.*

Apud Sur. die 13. Septemb. in vita sancti Cornelij Cẽt. mart.

Aurelian. Conciliũ.

Nicæna Synodus.

De Eccl. rit. cap. Si quis autẽ.

Admirabilis præterea Patrum, & Apostolicorum virorum in Deum nostrum crucifixum dilectio, & incredibilis fere eorumdem nobis plusquam satis nota in Crucem affectio faciunt, vt nobis persuadeamus, quòd non in Ecclesijs solum & diuino cultui dicatis locis, verumetiã, & intra domos proprias, foris, & vbique (ijs

exceptis locis, vbi per tyrannorũ impietatem ac rabiem non licebat) venerandum Crucis trophæum ab illis erigebatur. Nos haud difficile credimus in Cruce vbique figenda & erigenda, id ab illis seruatum, quod in Cruce sculpenda factitasse Alexãdrinæ Ecclesiæ primos Christianos, supra retulimus: Nempe vt ea saltẽ loca sanctæ Crucis signi defixione expurgarent, & munirent, quæ antea alicuius idoli, & dæmonis affixione & adoratione deturpata, & execrabilia reddita fuerant: quale narratur fuisse cõsilium a beato Apostolo Philippo datum Scithiæ gentibus, quibus per annos viginti Euangelium prædicauit, relatum ex lib. 10. historiæ Apostolorum, quam supra citauimus, Abdiæ, si vera sunt quæ de illo narrantur, sanctorum Apostolorum coætanei. Fuit autem huiusmodi: *Deijcite hunc Martem, & confringite: & in loco, in quo fixus videtur stare, Crucem Domini mei Iesu Christi affigite, & hanc adorate.* Verisimilia quidem, valdeq. probabilia apud omnes fideles hæc futura esse non dubito. Verum quia & illud nemini dubium esse arbitror, infidelium Principum sæuiente in Christianos persecutione, id nec palam, nec passim seruari potuisse: Nobis autem sermo sit in primis, non de priuata, & occulta signi Crucis fixione (de cuius vsu tunc quoque temporis in cryptis, speluncis, & varijs latebris, nemo est qui dubitare possit) sed de publica, & aperta, & cum honorifica pompa celebrata. Ideo ad ea, quæ paulo post consequuta sunt, sæcula deueniamus, in quibus non solum sine metu, & impune, verumetiam cum meriti, & præmij accessione apud Deum, & homines id fieri licuit: & illorum temporum testes proferamus, quibus huius rei antiquitas & frequentia demonstretur.

Trophæũ Crucis venerandũ.

Crucis vsus occultus, & manifestus.

Cui vero gratum esset ex vno eodemq. loco, occultæ simul, & manifestæ, ac publicæ fixionis testimonium accipere, historiam septem dormientium Martyrum a Metaphraste narratam legat: vbi refert quòd Iamblicus ex illorum numero vnus, ab eis, postquam a diutur-

Apud Sur. die 27. Iulij, & apud B. Grego. Tur. plur. mar. c. 95.

no

no illo somno excitati fuerunt, ad emendos panes missus, admirans quòd Crucis signum in Ephesi foribus erectum videret, ita secum loquebatur: *Heri vesperi huius Crucis signum in latibulis conseruabatur, & nunc aperte in ipsius Vrbis foribus erectum videmus.*

Crucis signũ Ephesi erectũ.

Ecce quàm paucis erectionis ac fixionis sanctæ Crucis vterque vsus, occultus scilicet primùm, deinde manifestus a dormiente isto vigili explicatus conspicitur. Nunc tandem longe illustriora & sole ipso clariora publicæ affixionis signi almæ Crucis exempla scriptis tradita petamus ex testibus, omni, vt dicitur, exceptione maioribus.

De publica, & honorifica signi Crucis erectione, ac fixione post Constantini Imperatoris ad Christum conuersionem.

CAP. III.

POSTQVAM Constantino Imperatori aduersus Maxentium prœlium inituro, diuina illa, & in primis admirabilis Crucis visio apparuit, & vexilli instar fabrefacti, illius exercitum antecedentis, Christianissimus Imperator de impijssimo hoste victoriam reportauit, nemo satis vmquam explicare poterit, quanta veneratione triumphale illud signum cuiusuis generis Vrbis Romæ homines prosequuti fuerint: Tunc enim maximo sumptu, ac pretiosissime exornari cœptum fuit, in sublime attolli, & statui, ac honorificentissime simul & religiosissime circumferri: quemadmodũ Eusebius, qui supremo illi Principi maxima beneuolentia coniunctus fuit, Arthemius, qui sub eodem militauit, Socrates, Sozom. Nicephorus, & ceteri, qui illorum temporum historias texuerunt, indubiam fidem faciunt. Sed mihi vnius Eusebij verba satis erit attulisse:

Sozom. li. 1. cap. 1. Niceph. lib. 8. c. 3. & lib. 7. cap. 29. Euseb. de vit. Constant. li. 1. c. 22. 23. & 24.

Cum

Cum iam, inquit, *sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tempus paululum inclinante dixit* (ipse videlicet Cæsar Constantinus) *se Crucis signum ex lucis splendore figuratum in ipso cælo soli imminens manifestò oculis aspexisse, in eoq. inscriptionem consignatam, quæ hæc verba complectebatur:* IN HOC VINCE. *Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum copiam iter facientem comitabatur, atque adeo huius prodigij spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem illud ostentum sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multum de eo cogitantem oppressit nox: Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in cælo monstrato visum esse, præcepisseq. vt exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tamquam præsidio in prælijs cum hostibus committendis vteretur. Ille simul atque dies illuxit, primum arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum, & lapides pretiosos affabre sculpere norant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat.* Et paulo infra subdit: *Atque Deo omnium moderatore sibi patrono ante oculos proposito, & Christo Saluatore, adiutoreq. inuocato, & salutari signo, tamquam victoriæ trophæo ante armatos suos, & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam a Maioribus accepissent, recuperaturus.* Cap. 31.

Sed vt prosequamur quem primo instituimus de Crucis erectione, ac fixione sermonem, maxime ad eam rem faciunt (vt infinita prope alia prætermittamus) quæ ab eodem Eusebio referuntur his verbis: *At ille vtpote pietate in Deum tamquam naturaliter menti insita imbutus, præsidij a Deo allati admodum conscius extemplo preces cum gratiarum actione auctori victoriæ impertijt; atque illustribus inscriptionibus, columellisq. erectis omnibus, salutaris Christi signi virtutem promulgauit, inq. Vrbe media, quæ præ ceteris principem locum facile obtinet, ingens illud trophæum contra hostes erexit; & hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant, in eo insculptis Romanorum, aliorumq. omnium imperio* Eodē lib. cap. 33.

subie-

subiectorum propugnaculum esse demonstrauit, palamq. omnibus proposuit ad intuendum; ac statim vbi erectum hastile ad formam Crucis in manum propriæ imaginis in statua expresse insertam, Romæ in loco celebri, ac multum a populo frequentato locatum fuit, hanc Inscriptionem Latino sermone in eo mandat inscribere:

Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio,
Ciuitatem vestram tyrannidis iugo liberaui,
Et S. P. Q. R. in libertatem vindicans,
Pristinæ amplitudini, & splendori restitui.

Nec tot tantorumq. beneficiorum perpetua huiusmodi monumenta in veteri tantum, sed in noua quoque Roma, Constantinopoli videlicet, statui diligentissime curauit, de quibus hæc scripsit Nicephorus: *In foro autem, quod nunc quoque Constantini dicitur, porphyreticam & maximam illam columnam Roma aduectam statuit, in qua statuam suam ex ære factam collocauit, quæ dextra manu ingens aureum malum continet, atque ipsi malo veneranda Crux ab eo infixa cum tali inscriptione:* TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO.

Hist. Eccles. lib. 7. cap. 14.

Et hinc fortasse acceptum est, vt inter alia Imperatoris insignia globus quoque Crucem desuper infixam habens nouo Cæsari in eius coronatione præbeatur: quod satis per se perspicuum probant magis aurea numismata, quæ anno tertio Pontificatus Sixti V. in structura aulæ Lateranensis reperta sunt. Id ipsum præterea confirmatur ex eo quòd apud Græcos Imperatores inter Imperij insignia Crux enumeratur, omnesq. Imperatores Constantinopolitani apud Nicephorum Gregoram Crucem manu gestantes describuntur.

Nec his contentus fuit Constantinus: Idem enim Nicephorus ait: *Quòd vero re ipsa sanctæ Crucis vim, & efficaciam expertus fuerat, summopere eam venerabatur, atque admirabatur. Ac post Helenæ reditum, tres immensa magnitudine*

Lib. 3. cap. 32.

Cru-

Cruces fieri curauit ad exemplum earū, quas ter in cælo viderat: primum Romæ contra Maxentium depugnans. Secundo cum, commisso cum Bizantijs prælio, tropheum de eis statuit. Tertio autem, cum Istroponte iuncto Scythas vltra id flumen subegit. Ad imitationem igitur triplicis istius visionis tres ex ære fieri curauit Cruces, eisq. sacra hæc imposuit nomina: Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ: *Iesus Christus vincit. Ex his, cui nomen Iesus inditum, auro per omnes diffuso ornata collocata est super fornicem, seu arcum triumphalem in foro, vt obscuriore significatione ardorem pietatis ipsius indicaret; potentia namque roboris eius Græcam superstitionem debellauit. Alterum vero venerandam sanctamq. Crucem, Christi nomen præferentem in porphyretica Romana statuit columna in loco, qui* φιλαδέλφιον, *hoc est, fraternus amor dicitur. Tertiam, quam Constantinus quidem νίκη, idest, victoriam vocauit: Heraclius autem* ἀνίκητον, *hoc est inuictam, in alta columna marmorea posuit in loco, cui est nomen* ἀρτοπώλιον, *id est, forum panarium, ad quam multa etiam supra opinionem hominum virtutes sunt editæ.* De qua idem auctor Nicephorus & hoc memoriæ prodidit hunc in modum: *Hanc sane venerandam Domini Crucem longe post tempore, decimum octauum annum Mauritio imperante, quod immenso terræmotu corruerat, ferreis quibusdam operibus Heraclius firmauit, & in basi eius huiusmodi incidit Inscriptionem. Opus Deo acceptum Imperatoris magni Heraclius firmauit: quæ Inscriptio ad mea vsque tempora durauit.*

Constantinus ter in cælo vidit Cruces.

Niceph. li.8. Eccl. hist. c.32. in fine.

Nec tam præclaro insigni, proprium & ab ipso inhabitatum palatium carere passus est gratissimus Imperator Constantinus, quemadmodum in hæc verba testatur Eusebius: *Tantus item, & tam diuinus amor Imperatoris animum complexus est, vt in ipso palatij introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti, laqueari inaurato, in tabula maxima explicata salutaris passionis insigne ex lapillis pretiosis cuiusque modi, auroq. multo polite elaboratis confectum figendum curauerit. Istud Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum.* Hæc de Crucibus a Constantino constructis.

Euseb. de vita Constant. li.3. cap.48.

Quod si principi illi adhuc plane neophyto, tantum fuit studium in statuenda & affigenda Cruce, vt animi gratitudinem erga Deum propugnatorem suum testaretur, profecto credendum est in Cruce similiter statuēda, figenda, & omni ratione honestanda, non minorem diligentiam & solicitudinem adhibitam fuisse a sanctis Episcopis, & alijs Christianis Præsulibus, qui tunc temporis Ecclesiarum in eis, quæ ad Dei cultum pertinebāt, instituendarum curam habebant. Quare, ne in re minime dubia frustra laborare videamur, vnius tantum, vel alterius eiusmodi prope diuinorum virorum exempla recensebimus. Et, vt antiquitatis rationem habeamus, primum locum dabimus Gregorio magnæ Armeniæ Episcopo. De quo hæc scribit Euthymius: *Gregorius magna Armenia Præsul ante omnes iussit Cruces quibusdam in locis a se collocatas adorare, ad easq; tamquam ad sacra confugia concurri.* Aliud testimonium accipiamus ex vita sanctissimi Archiepiscopi illius Constantinopolitani, cuius dicta sæpius a nobis supra relata fuerūt, Ioannis scilicet Chrysostomi a Simeone Metaphraste descripta; dum profert cæleste, & miraculi plenum consilium Alexandrini agri incolis datum, quo ab immanissimo leone, qui ex illis quamplurimos deuorauerat, & alios discerpserat, ac dilaniauerat, liberarentur: fuit autem huiusmodi: *Vobis quidem omnibus est Deus placandus in templum simul conuenientibus: Id autem, quod do vobis (erat enim Crux) ponendum est in ijs locis, per quos leo transit, & absit quidem omnis metus, sit autem perfecta fides: & haud ita multo post manifesta vobis quoque erit in eo Christi virtus. Cum hanc illi Crucem accepissent, & sicut eis fuerat imperatum, fecissent, & die sequenti illuc venissent (O Domine, & Deus omnium, & admirabilium operum effector ineffabilis!) belluam vident iacentem mortuam ante basim Crucis.* Si vero nobis liceret iterum a dominis temporalibus exempla depromere, non aliena a nostro instituto fuissent quæ venerabilis Beda hist. Angl. lib. 3. cap. 3. & Amalarius de diuin. offic. lib. 1. cap. 13. de Osualdo.

Nicolaus Sand. de visib. monarc. Eccles. lib. 7.

Apud Sur. die 27. Ianuarij.

Beda, & Amalar.

ualdo Anglorum Rege scriptis tradiderunt, quale illud est, quòd prælium commissurus, signum sanctæ Crucis erexit, vt ea præliantibus fidelibus præsidio foret, necessitatisq. tempore subueniret.

Scribit quoque Ioannes Lesleus Episcopus Rossensis hist. suæ lib. 5. Anglis finitimos Scotos, vt regionũ terminos, & prouinciarum fines distinguerẽt, Cruces erexisse. Ioannes Lesleus.

De frequenti vsu Ecclesiæ affigendi signum sanctæ Crucis.

CAP. IIII.

ORDO hucusque seruatus in exponendis capitibus, de quibus hactenus dictum est, fortasse postularet, vt, cũ de antiquitate ritus plantandæ & affigendæ Crucis satis diffuse dixerimus, nunc de eiusdem ritus frequenti vsu longiuscule dissereremus. Sed cum eiusmodi frequentia ex ijs, quæ proxime à nobis dicta sunt, non obscure indicata sit, breuitati studentes, huius ritus exẽpla referre prætermittemus. Sed quis illa enumerare, aut dicendo percensere posse confidet; cum & loca, in quibus Ecclesia Cruces statuere consueuit, tam multa ac varia sint, vt nullus hominum comprehendere, & complecti possit? Quòcumque enim oculos conuertimus, Dominicæ Crucis trophæum suspicimus, eiusq. imagines nobis occurrunt. Enimuero in solitudinibus, in vijs, in agris, & ipsorum agrorum limitibus, immo & in Regnorum finibus, in castris, in oppidis, in ciuitatibus, in earum foribus, plateis, vicis, turribus, & propugnaculis, in magistratuum palatijs, in priuatorum domibus, in cœmeterijs, & Deo dicatis Basilicis, templis, oratorijs, intus, foris: & supra illa, in altaribus singulis, & in vniuscuiusque templi illustriori, digniori, & eminentiori loco, vt omnium oculis pateant, Cruces positas & Ritus affigẽdę Crucis frequẽtissimus.

locatas videmus, & adoramus. In summa: nullus est apud Christi fideles locus, qui hoc singulari Christianorum symbolo non sit insignitus, & Crucis longe omnium fortissimo præsidio munitus. Quare si tam multiplex, tamq. frequens apud recentiores fuit, & apud nos viget sanctissimæ Crucis affixio, minime arbitror dubitandum, quòd saltem pari, si non etiam maiori, frequentia Patres nostri, per quorum manus sancta hæc instituta accepimus, Dominicum signum erexerint, extulerint, & quot, & quibus potuerunt modis omnibus honorarint, & coluerint. Quod quidem tam certo mihi persuadeo de illis, qui sub magni Constantini imperio viuebant, vt non difficile credam, quòd triumphale illud vexillum, etiam a plerisque nondum in Crucifixum credentibus, in honore & pretio habitum fuisse, recentemq. & plenam mirabilium victoriam eos ad illius venerationem vehementer impulisse, vt Prudentius eleganter descripsit his verbis;

Lib. 1. cōtra Symmachum.

Ipse Senatorum meminit clarissimus ordo,
Complexusq. pedes Victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens, tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum, Christiq. verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.

Plurimum quoque ad repetendam Crucis fixionem, & illius venerationem cunctos populos commouebat, & hortabatur Principis, quem tanto amore prosequebatur, exemplum: quo plane excitati erga Crucis imaginem se bene affectos, & ad illam colendam propensos omni, qua poterant, ratione declarare, & ostendere studebant. Quare minime ambigendum est, trophæum Crucis domi, foris, & vbique locorum ab illis fuisse erectum: *Est enim* (vt ait beatus Damascenus) *huiusmodi principatus, & imperij natura, vt semper subditi ad eorum, qui rerum potiuntur, mores sese componant, eaq. amare, & consectari soleant, quibus Principem delectari sentiunt*, quemadmodum

In vit. SS. Balaã, & Iosaphat apud Sur. die 27. Nouemb.

dum & Claudianus conteſtatus eſt hunc in modum: Claudianus Panegyr. in 4. conſ. Honorij.

——— *componitur orbis*

Regis ad exemplum. ———

Sed vt nos intra Chriſtianorum ſolummodo terminos contineamus, quàm frequentia eſſent tunc temporis Crucis venerandæ ſigna, & quòd nullo non loco eſſent affixa, B. Ioannis Chryſoſtomi repetito teſtimonio, quo ſolo ex veteribus contenti erimus, comprobemus. Hic in demonſtratione contra Gẽtes, quòd Chriſtus ſit Deus, ita habet: *Hanc vbique celebrari videlicet in domibus, in foro, in ſolitudine, in vijs, in montibus, in collibus, in mari, in nauigio, in inſulis, in lectis, & cetera quæ ſequuntur.* S. Ioann. Chryſoſt. Vna denique ſententia a recentioribus, qui noſtra ætate maximo Reipubl. Chriſtianæ beneficio floruerũt, deprompta præſens caput concludamus. Stanislaus Oſius Epiſcopus Varmienſis, priſcis patribus, quorum auctoritate hæc ſcripta confirmare conſueuimus, merito comparandus, in Catholica ſua confeſſione de fide, ac ſymbolo agens, hæc ad propoſitam materiam apprime facientia ſcripta reliquit: Staniſlaus Oſius. Cap. 11. *Neque vero tantum præferri Crucem inſtituit Eccleſia, verum & in medio templi, eiusq. in eminentiori loco, vt ab omnibus conſpici poſſit, Chriſti crucifixi ſtatuam erexit. Quo ſicut in ſerpentem æneum, quem in deſerto Moyſes exaltauit, qui morſi a ſerpentibus intuebantur, ſanabantur;* Ioan. 3. Num. 21. *ſic, qui vellent a morſibus peccatorum ſanari, quos intulit ſerpens diabolus; in eum intuerentur, qui pro nobis in Cruce pendens mori dignatus eſt, certa cum ſpe remiſſionis peccatorum illius merito conſequendæ. At non in templis modo, verum in vijs etiam, & compitis Chriſti crucifixi ſignum iſtud erigendum putauit. Fuit hoc priſcis illis temporibus apud nonnullos in more poſitum, priuſquam ad agnitionẽ veri Dei perueniſſent, vt Mercurij Statuas in vijs collocarent, quòd hunc Deum itineribus præeſſe perſuaſum haberent: Poſteaquam vero depulſis errorum tenebris, Euangelij noua lux effulſit, deiectæ ſunt ſtatuæ Mercuriales, quæ viarum indices fuerant, & earum in locum erectæ ſunt ſtatuæ Chriſti crucifixi, vt ne ſic viatores quidem aliud agentes*

tes tanti beneficij possent obliuisci. Hæc quidem de Crucis fixione dicta sint: cuius sane erectionis, atque item fixionis, antiquitas pariter, ac frequentia vix dici potest quot exemplis comprobari possent, nisi Diocletiani ceterorumq. eius similium satanæ ministrorum iussu dirutæ, soloq. æquatæ fuissent Ecclesiæ, & diuino cultui dicata loca ipsis sanctissimis Apostolis superstitibus, & subsequentibus temporibus a Christianis excitata. Et de illorum quidem tunc temporis multiplici extructione testes habemus Philonem Iudæum, Eusebium, Nicephorum, Callixtum, & complures alios. De eorumdem vero templorum demolitione inter ceteros late scripsit idem Eusebius de Eccles. hist. lib. 8. cap. 2. & 3. & in Oratione de laudibus Pauli ad finem.

Philon li. de suppliicum virtutibus. Euseb. histor. Eccl. li. 2. c. 16. & hom. 1. aduers. gentes, quod Christus sit Deus. Niceph. hist. Eccl. li. 2. c. 39. 40. 42. & cet.

De triplici ratione circumlationis signi Crucis apud Christianos: & de prima, quæ priuatim singulis fidelibus est communis.

CAP. V.

CIRCVMFERENDI signum Crucis vsus ad tria capita redigi posse arbitror, iuxta tria Christi fidelium genera, qui eo diuersimode vtuntur. Vnum est omnium priuatorum: alterum est omnium collegiorum Ecclesiasticorum: tertium vero Ecclesiæ Dei Prælatorum & præsulum maiorum. Primum, inquam, est omnium priuatorum Christianorum, nam ex eis neminem, vel paucos esse arbitror, qui si non semper, frequentissime tamen Cruciculam aliquam a collo, vel a rosario, vel ab ea, quam vocamus coronam, pendentem secum non deferant. Huius gestationis consuetudinem viguisse apud veteres, ante & post Constantini tempora demonstrat in primis Simeon Metaphrastes in

Apud Sur. die 2. Iunij.

vita

vita sanctorum Martyrum Marcellini presbyteri,& Petri exorcistæ, qui sub Diocletiano, martyrij palmam adepti sunt, in quorum memoriam & honorem Constantinus Basilicam ædificauit, narrans qua ratione, quove habitu indutus Petrus perrexit ad Arthemium, qui pollicitus fuerat se Christi fidem suscepturũ, si eius virtute ille e carcere duplicibus claustris communito egressus, ipsius domum proficisceretur, & eiusdem filiã a dæmonio liberaret. hæc enim habet: *Cum inter se loquerentur; & occumbente diei lumine, nox initium suum stellarum ortu indicaret, adest homo Dei Petrus Arthemio, & candide se offerens, candidis indutus vestibus, trophæum Crucis tenens in manu sua.* Petrus ad Arthemium.

De Ioanne quoque Eremita, cuius beatissimi Patres, Hieronymus, & Augustinus cum laude meminerunt. Legitur in Prato spirituali, quòd obierit, argenteam Crucem in manu tenens. Prat. Spirit. cap. 8.

De sancto etiã Macario Patriarcha Antiocheno pulchrum huiusmodi exemplum recensetur: Scipioni, quẽ manu gestabat, paruam Crucem imposuerat, quæ illi & iter agenti, & vigilanti, & dormienti, & quidlibet agẽti prẹsto erat: per quam, cæcum illuminasse,& alia præclara miracula edidisse testatur, qui ipsius vitam scriptis mandauit.

In vita admirabilis viri Ioannis Eleemosynarij per Leontium Cismorum Episcopum descripta legitur de quodam Zacharia dicti Ioannis discipulo,& alumno, a quo cum egenus eleemosynam petijsset, coram multis viris, quibus nihil erat, quod pauperi impertirẽt,ideoq. egenus illos præterijsset, Zachariam eum insequutus Cruciculam, quam ferebat argenteam,dedit mendico, dicens nihil sibi præter siliquam vnam superfuisse in vita sua. Denique Ioannes Diaconus refert,effigiem sancti Gregorij Papæ in absidicula per pictorem ad viuum repræsentatam, in dextera imaginem Crucis habuisse. Apud Simonẽ Maiol. cẽt. 7. cap. 8. In vita S. Greg li. 4. cap. 84.

Nec mirum si pij Christiani, qui adhuc in mundo

degunt

degunt, seipsos fortissimo isto clypeo munire student, cum defunctos etiam cum hoc signo sepelire in more habuerint: quod nos quoque a maioribus acceptum, modo seruamus: Legitur enim in Prato Spirituali hoc memoria dignum exemplum, quod ijsdem verbis enarrabo: *Cum in Raso Ciliciæ duo viri nocte vidissent in sylua proxima ingentem ignem lucere, & eò accedentes nihil reperijssent, nocte quadam assumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem, quæ apparuerat, mansimusq. vbi luxerat vsque ad diem sequentem: mane vero facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco, vbi lumina videramus: ingressi autem inuenimus Anachoretam defunctum, indutum cilicio, & pallio, tenentemq. in manu argenteam Crucem.* Quid ergo blaterant miseri huius ætatis hæretici, qui impie, & audacter nimium Catholicos criminantur quòd ijsdem ritibus, defunctorum fidelium cadauera ad Ecclesias deducant, & sepulturæ tradant? Sed iam ad secundam gestandæ Crucis rationem veniamus.

Prat. Spirit. c. 37.

De gestatione vexilli Crucis in supplicationibus.

CAP. VI.

RITVS gestandæ Crucis, quem a Collegijs virorum Ecclesiasticorum seruari videmus, plurima leguntur Patrum exempla, quibus huius cæremoniæ antiquitas, & frequentia demonstratur. Is autem est, quo supplicationes (quas processiones dicimus) intra vel extra Ecclesiam semper sacro vexillo præeunte fieri consueuerunt: hunc rite, pieq. seruandum monet Origenes his verbis: *Gaudentes leuemus hoc signum: in humeris nostris victoriarum vexilla portemus.*

In diuers. hom. 8.

Eo etiam tendunt illa beati Chrysostomi verba: *Nullus itaque verecundetur, honesta nostræ salutis signa, & caput bonorum*

Hom. 55. in Matth.

bonorum, per quod viuimus, & per quod sumus: sed veluti coronam, sic læto animo Crucem Christi circumferamus. Si tamen quispiam vtramque sententiam esse communem huic capiti, & proxime superiori contendat, proprijs exemplis rem ipsam demonstrabimus. Ex notissimis autem, quæ idcirco probatione non egent, pauca & quidem insigniora, ac vetustiora, quæ inter legendum nobis occurrerunt, in medium proferemus.

De beato Ioanne Chrysostomo refert Cassiodorus, quòd in nocturnis hymnis primus auxerit orationes ob eam causam, quòd Ariani collectas agebant, & hymnos, ac Antiphonas ex Ariano dogmate compositas decantabant: *Tum Ioannes metuens* (inquit) *ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suum populum vt & ipsi nocturnis occuparentur hymnis, vt & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Studium ergo Ioannis valde vtile cum turba, periculisq. finitum est. Nam cum clariores hymni homousianorum noctu apparerent, (fecerat enim quoque Cruces argenteas, quæ cum argenteis cereis portabantur, expensas ad hæc Eudoxia Augusta præbente) tunc Ariani Zelo tracti vsque ad cædem insurgunt.* Hæc Cassiodorus ex Sozomeno. Hist.trip. li.10.c.8. Sozom.li. 8.cap.8. Niceph. li.13.c.8.

Præterea in vita sancti Barnabæ Apostoli legitur huiusmodi exemplum beati Anthemij Salaminæ Vrbis Episcopi, dum ad reliquias dicti Apostoli ab eodem sibi reuelatas pergebat: *Episcopus vero experrectus Deum adorauit, totoq. Clero & populo Christi amantissimo congregato exijt in eum locum, quem per reuelationem didicerat multo apparatu, & Cruce ipsa prælata.* Huius antelationis in Litanijs antiquitatem declarat etiam quod in sancti Euthymij Abbatis vita sic legitur: *Iam aduenerat dies præfinitus, quo is* (Beatus videlicet Euthymius) *exibat in vastam solitudinem: innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo Cruces habens in manibus, & Kyrie eleison, id est, Domine miserere, de more, non ore solum, sed labijs quoque cordis inuocans.* Gregorius itidem Episcopus Turonen. pium hoc institutum seruatum asserit in Ciuitate Rhemensi, cum ait: *Accepta palla de beati* ApudSur. die 20. Ianuarij. De gloria confessorum c.79.

Remigij (videlicet Rhemenſis Epiſcopi) *ſepulchro, componunt in modum feretri, accenſisq. ſuper Cruces cereis, atque ceroferalibus dant voces in Canticis, circumeunt vrbem cum vicis: huiuſmodi enim proceſsionibus cum Crucibus Ciuitatem colluſtrabant, vt eam & hoc præſidio munirent.*

In vita ſancti Theodori Archimãdritæ, qui tertio Heraclij Imperatoris anno vita functus eſt, Georgius presbyter eius diſcipulus ita ſcribit: *Cum in oppidis finitimis ſupplicationes fierent, & Cruces, quæ geſtari ſolent, horribili miſerandoq ſpectaculo per ſe concuterentur, & cõmouerentur, interrogatus vir diuinus, quid ſibi id vellet, reſpondit: Deum, o filij, precibus placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates.*

Apud Sur. die 22. Aprilis.

A maioribus ergo acceptum eſſe conſtat, quòd Clerum per vias incedẽtem Regis noſtri vexilla ſemper præcedere debent. Proinde numquam, vel rariſſime de proceſſione Clericorum Scriptores aliquid vel docuerunt, vel retulerunt, quin de Cruce præferenda quoque meminerint. Conſtat id aperte ex VII. Synodo act. IIII. Vbi proceſſionis forma deſcribitur his verbis: *Cum ſanctæ Ciuitati reliquiæ ſacræ appropinquaſſent, omnibus ea res declarata ac ſignificata fuit: Itaque lætitia magna perfuſi omnes, ſurgentes ſubito, lignaq. ſacra pulſantes inuicem obuiam facti ſunt, illinc cum Cruce & ſupplicatione egreſsi læti, ac gaudentes cum gratiarum actione ſacris reliquijs occurrunt.* Nec mirum quòd Eccleſiaſticis viris more ſupplicantium ad ſacra vel facienda, vel recipienda conuenientibus, ſeu ad Eccleſiarum præſules ſolemni ritu excipiendos prodeuntibus, Crucem a Maioribus noſtris præferri ſolitam paſſim referatur, cum & id apud eoſdem in more poſitum fuerit, vt nec Principibus laicis cum pompa excipiendis Clerus niſi Cruce prælata occurreret, tamquam fidei, Catholicæq. confeſſionis, & aduenientium, & excipientium communi nota, ſymbolo, & certiſſima, vt ita dicam, teſſera.

Lib. Pontificali.

De Eccleſiaſticis quidem exſtat exemplum in vita ſancti Ioannis Papæ & martyris: *Occurrunt* (inquit) *beato*

Ioanni Papæ a milliario duodecimo omnis Ciuitas Constantinopolis cum cereis, & Crucibus in honorem beati Petri. Rexit autem Ecclesiam sanctissimus ille Pontifex circiter annum quadrigentesimum a mundi Redemptione. In laicis Dominis excipiendis eumdem ritum seruatum fuisse, apertissime ex historiarum auctoritatibus colligitur, qui apparatum referunt, quo, inter ceteros, Carolus Magnus Imperator primum ab Adriano, postea a Leone III. fuit exceptus, vt Carolus Sigonius explicat his verbis: *Postridie Cruces, & sacra reliquiæ cum vexillis Ciuitatis obuiam missæ.* Quare in ceremoniarum Pontificiarum libris statutum legimus, vt in ipsis oppidorum, & ciuitatum foribus, vbi primùm Episcopus, vel Rex locum illum ingreditur, Crux ei osculanda offeratur ab eo, qui inter Ecclesiæ illius clericos eminentiori dignitate præfulget.

Hist. de Regno Italiæ lib. 4. Cerem. Rom. li. 1. sect. 3. c. 1. & 2.

Omnis denique de Cruce in supplicationibus præferenda dubitandi locus (si quis in re tam aperta reliquus esse possit) de medio tolletur, si, quæ de Crucis Stationalis in Romana Ecclesia vsu a Maioribus nostris accepimus, in memoriam reuocabimus. Appellabatur autem Stationalis, propterea quòd summo Pontifici, Clero & populo ad Stationes solemni ritu procedentibus, illam præferri solitum erat, qualis profecto est, quæ clarissimum Lateranensem Clerum ad supplicationes publice prodeuntem de more hodie præcedit: Illam dico prægrandem argenteis insculptam thecis diuersas Domini Saluatoris nostri & Sanctorum actiones repræsentãtibus vndique tectam, & ornatam, quæ ob ponderis magnitudinem ab ijs, qui viribus corporis & robore maxime præstant, gestari solet. Qualem etiam ad illum ipsum fere modum ad nostra vsque tempora in Apostolorum principis de Vrbe Basilica fuisse, qui se eam vidisse asserebant mihi aliquando testati sunt. De qua stationali Cruce, siue illa, quam diximus, siue consimilis formæ alia, Petrus Mallius, Maphęus Vegius, & Benedictus....

eius Basilicæ insignes Canonici, in suis ipsorum scriptis, quorũ maior pars in sancti Petri Bibliotheca asseruatur, nonnulla notatu digna retulerunt. Petrus quidem, quem primo loco nominauimus, quæ ad rem nostram faciunt, hæc habet: *Non modica quoque beati Petri Basilica lætari debet prærogatiua, quòd in maiori Litania tamquam nauis prora, & aliarum vexillifera omnes de naui præcedit; Domino Papa tamquam principali, & præcipuo gubernatore ex puppe veniente: In quo nimirum facto significatur, beatum Petrum Vexilliferum, & totius Ecclesiæ esse præductorem, & Christi Resurrectionis primum prædicatorem: Sicut enim in Paschali processione Cruces, & sanctorum reliquias ad vitæ præparationem, & munimẽta contra hostes inuisibiles præmittimus, ita in hac generali processione beati Petri Basilica, vt ductrix, & rectrix ceterarum præambula inuenitur: Et hinc est, quòd Crux Dominica, Quadragesimali videlicet tempore, sumitur de sanctissimo sancti Petri altari, quæ præcedat populum pœnitẽtem per totam Quadragesimam ad Stationes euntem de institutione sanctorum Patrum. Quæ nimirum Crux Stationalis ob Christi, & Apostolorum eius reuerentiam in tanta veneratione à cunctis est habita, quòd, sicut Cantores regionarij asserunt, hac Cruce non delata, immunes a Statione recedant.*

Petrus Mallius.

Maphæi vero de illa testimonium eiusmodi est: *Beatus Gregorius Papa, cum per totam Quadragesimã ordinasset Stationes propter pœnitentes, quas cum Primicerio, & Cantoribus, & Regionarijs & Acolutis deuotissime faciebat: illud etiam, quod maximo honori, & prærogatiuæ Basilicæ sancti Petri habitum est, statuit, vt de maiori altari eius Crux Dominica sumeretur, quæ populum pœnitentem ad Stationes ipsas procedentem semper præcederet: Cuius tanta fuit apud omnes veneratio, vt si forte non deferri eam aliquando contingeret, discederent, passim existimantes; non ita sine ea acceptas Deo Stationes vllas esse.*

Maphæus Vegius.

Benedictus vero de eadem inter cetera, ne omnia repetam, hæc scripsit: *In exaltatione sanctæ Crucis, Statio Lateranis, Fit collecta ad sanctam Mariam maiorem, vbi Crux Stationalis, & Schola, & Regionarij, & Acoluti coadunantur cum Cruce sancti Ioannis & Canonicis. Primicerius cum*

Benedictus.

Schola

Schola cantat collectam. Subdiaconus regionarius portat Crucem Stationalem in processione ante Cantores, & processionaliter procedit vsque ad Lateranum. Hæc ille.

Huius postremo ritus gestandæ Crucis in processionibus meminit Guillelmus Durantes ceremoniarum Ecclesiasticarum peritissimus: *Crux* (inquit) *quasi regale vexillum & triumphale signum in processionibus præmittitur. Primo, vt fugiant qui oderunt eum a facie eius: Est enim signum victoriæ Christi, iuxta illud: Vexilla regis prodeunt. Secundo, quia sicut ait Apostolus ad Galatas: Absit nobis gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus nobis, & nos mundo crucifigi debemus.* In quam sententiam amplissimus quoque Cardinalis Varmiensis: *Hæc* (inquit) *est causa, quare in supplicationibus Crux præfertur, vt in illa gloriari nos, in illa spem nostram omnem defixam habere, illius fiducia nihil non a Deo petentes impetrare posse, palam omnibus faciamus.* At quia de causis, propter quas signum Crucis præfertur, diffuse a nobis in tertio Libro agendum est: ideo quæ de illis modo dicenda occurrunt, in illum locum reijcimus, vt ad alia procedamus.

Guill. Durantes.

Hymnus Theodulphi in Domin. Pasc.

Gal. 6.

De fide & symbolo cap. 11.

De gestatione Crucis pendentis a collo Episcopi.

CAP. VII.

TERTIAM rationem gestandæ Crucis, quam dicebamus propriam esse Prælatorum, in duas partes similiter distribuimus. Nam vna communis est omnibus passim Episcopis. Altera vero solis concessa est Archiepiscopis, & ceteris omnibus, qui maiores huiuscemodi Prælatos dignitate antecellunt: quales sunt Patriarchæ, Legati Apostolici, & ipsorum Patriarcharum & totius Ecclesiæ caput Pontifex Romanus.

Quod omnibus in vniuersum Episcopis commune dixi,

dixi, est vetus illud institutum de Cruce parua ad collum appendenda, maxime quando Episcopi ad officia diuina celebranda se præparant. Quem ritum antiquissimum esse testificantur fere omnes, qui de sacrosanctis Missæ mysterijs scripserunt. Inter quos conuenit, quòd mysticum illud ornamentum suffectum, & subrogatum fuerit in locum laminæ aureæ, qua frons summi Pontificis veteris testamenti exornabatur, de qua beatus Hieronymus dixit: *Quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo ostenditur Crucis. Auro legis, sanguis Euāgelij pretiosior est.* Quod insigne cum sit proprium (vt dixi) Episcoporum, merito illi Episcopi, qui e suo loco & gradu deiecti erant, in Synodo VIII. act. V. Crucis pectoralis appensione in priorem dignitatem restituebantur, vt hoc indicio clare constaret, eos postmodum Episcopali munere fungi posse, cum Crucem collo appensam accepissent: *Qui* (vt Concilij verba referam) *Encolpium accipiebant, vt dignitate Episcopali potirentur.* Encolpium vero (vt ait Anastasius Bibliothecarius eius loci interpres) Crux est ad pectus cum pretioso ligno, vel cum reliquijs Sanctorum, quam Episcopi ad collum appensam deferre consueuerunt. Cui quidem sententiæ adstipulatur Gregorius Nissenus referens Macrinam sororem gestare solitam ad collum Crucem argenteam, particulam veræ Crucis inclusam habentem. Inferiores vero & simplices sacerdotes Crucem pectoralem non deferunt, sed ex eodem orario apte composito Crucem efficere debent, vt sacra munia obire possint: quemadmodum in Concilio Bracarensi can. III. præscriptum est his verbis: *Cum sacerdos ad Missarum solemnia accedit, aut per se sacrificia oblaturus, aut sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter, quàm orario vtroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita vt de vno eodemq. orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo pectore præparet Crucis.* De hac quoque Episcoporum Crucis gestatione Innocentius

Ad Fabiolā de vest. sacerdot. epist. 128. circa fin.

Ex manu scriptis exēpl. Bibliot. Vaticanæ.

D. Cæsar Baron. in Annal. Eccles. ann. 58. pag. 517. E. to. 1

Gregor. Niss. in vita Macrinæ sororis.

nocentius III. his verbis ait: *Et quia signo Crucis auri lamina cessit, pro lamina, quam Pontifex ille gerebat in fronte, Pontifex iste Crucem gerit in pectore. Nam mysterium, quod in quattuor litteris auri lamina continebat, in quattuor partibus forma Crucis explicuit.* Eiusmodi ritus causam affert, quem & supra citauimus, Cardinalis Osius in hæc verba: *Hinc ille mos, quòd pendentem de collo Crucem gestant Episcopi, non ob id modo, ne parum aliquando sint memores beneficij per Crucem accepti, verum etiam, vt admoneantur, quò Crucifixi vestigijs incedant.* Hinc eam accipiens Episcopus in hanc formam precatur: *Munire digneris me, Domine Iesu Christe, ab omnibus insidijs inimicorum omnium signo sanctissimæ Crucis tuæ: ac concedere digneris mihi indigno seruo tuo, vt sicut hanc Crucem Sanctorum tuorum reliquijs refertam ante pectus meum teneo, sic semper mente retineam, & memoriam passionis, & sanctorum victorias Martyrum.*

De myst. Missæ lib. 1. cap. 53.

De fid. & symb. c. 12.

Lib. Pontif.

Post gestatum Crucis signum a Christo ipso Deo & homine, Crux triplici generi Principum solemni ritu præferri cœpta est.

CAP. VIII.

IAM tempus est, vt de solemni circumlatione Crucis tractare incipiamus, ob quam in primis hoc nobis negotium fuit demandatum, & cuius antiquitatem, & causas inuestigare, atque explicare proposuimus. Illa autem est tertia ac postrema ratio Crucis gestandæ, quam solis Archiepiscopis Metropolitanis, Patriarchis, & ceteris, qui dignitate, ac potestate in Ecclesia Dei illos antecedunt, apte conuenire, eisq. licere asseruimus.

Quoniam vero de ceremoniæ huius frequenti vsu, cuius

cuius semper in superiorum tractatione meminimus, nihil nobis dicendum est, cum ritus hic maxime solemnis reliquos vel hoc nomine antecellat, quòd non omnibus sit communis, sed paucioribus concedatur. Quare de antiquitate tantum nobis agendum restat, quam probabimus exēplo Iesu Christi, qui non solum in Crucem agi, sed suis humeris prior gestare voluit: tum illorum exemplo, qui subsequuti sunt, vel tantum dignitate sæculari, vel Ecclesiastica præfulgētes: vltimo loco, exemplo summorum Pontificum, qui vtraque potestate coniuncti, Christi vices in terris gerunt.

A primo igitur exordium ducentes, cum Christum huius ritus auctorem asseramus, superuacaneum erit, hunc reliquis omnibus non modo antiquiorem, sed etiam digniorem ratione & auctoritate demonstrare: In Christianæ enim Reipub. sacris institutis, quis maiorem animo concipere potest vel antiquitatem, vel excellentiam excogitare illa, quæ ab ipsomet Christo Ecclesiæ fundatore, & institutore originem habuit? & maxime in ijs, quæ non solo præcepto & verbo, sed etiam exemplo, & opere ipsemet exercuit, perfecit, absoluit. De ipso autem præ ceteris ab eo dilectus Discipulus huiusmodi testimonium perhibuit: *Et baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.* Qua quidem ratione, & re ipsa, & exactissime Christus perfecit quod in Isaac figuratum legimus: *Tulit quoque* (videlicet Abraham) *Ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suū.* Quod mysteriū Tertullianus libro aduersus Iudæos explicauit his verbis: *Christus per lignum Crucis, superata morte, regnauit. Sed quis omnino Regum insigne potestatis suæ humero præfert, aut non capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliqua proprietate vsus noua? Sed Christus nouus Rex sæculorum nouam gloriam, & potestatem, sublimitatem suam humero extulit, vt imperium eius fieret super humerum eius, & Dominus regnaret a ligno.*

Leo item Magnus disertis hisce verbis simile quiddā exposuit: *Cum ergo Dominus lignum portaret Crucis, quod in*

Ioan. 19. — *Gen. 22.* — Tertull. cōtra Iudæos de figura Crucis. — *Isa. 9.* — *Psal. 95.* — Ser. 3. de Passione Domini.

sceptrum

ſceptrum ſibi conuerterat poteſtatis: erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, ſed manifeſtabatur fidelibus grande myſterium: quia glorioſiſſimus diaboli victor, & inimicarum virtutum potentiſſimus debellator, pulchra ſpecie triumphi ſui portabat trophæum, & inuictæ patientiæ ſuæ humeris ſignum ſalutis adorandum regnis omnibus inferebat, tamquam & tunc operis ſui imagine omnes imitatores ſuos confirmaret, eiſq. diceret: Qui non accipit Crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Matt.10

In illo autem naſcentis gloriæ Crucis exordio, ſæculi huius oculis abſcondito, ſatis aperte, & ſimili plane forma repræſentatus fuit ritus, qui poſtea meritò in Eccleſia inoleuit, nimirum geſtandæ Crucis ab Eccleſiæ Prælatis inſignioribus, etiam ſi non ſuis illi manibus, ſed alienis Crucem gerant. Ideo non ſine primi Vexilliferi prouidentia factum eſt, vt illud ipſum, quod in ſuis diuinis humeris geſtauerat, lignum a Simone Cyrenæo etiam portaretur: quod ceteri Euangeliſtæ teſtantur: *Cum ducerent eum, inuenerunt, apprehenderunt, & angariauerunt, prætereuntem quemdam hominem Cyrenæum nomine Simonem venientem de villa patrem Alexandri & Rufi, hunc angariauerunt vt tolleret Crucem eius.* Ex quibus verbis venio in eam ſententiam, vt exiſtimem Chriſtum primo Crucem ſuis humeris ſolum geſtaſſe, deinde Simonem itidem ſolum: hunc enim locum ita interpretatur ſanctus Hieronymus: *Hoc intelligendum eſt, quòd egrediens de prætorio Ieſus, ipſe portauerit Crucem ſuam: poſtea obuium habuerint Simonem, cui portandam Crucem impoſuerunt.* Hoc enim ſignificare videtur quod dixerunt Matthæus, & Marcus: *Vt tolleret Crucem eius.* Et quod ſcripſit beatus Lucas: *Et impoſuerunt ei Crucem* (nempe a Ieſu oblatam) *portare poſt Ieſum.* Nulla tamen ratione oportebat, vel decebat, vt in illo itinere ordo exprimeretur, qui poſtea in conſuetudinem deductus eſt, vt ſcilicet Crux Pontificem præcederet, quoniã ſalus noſtra tota in eo verſatur, vt nullus anteire præſumat, ſed omnes & ſinguli Chriſtum ſequi,

Matt.27 Marc.15 Luc.23.

Cõment. in Matt. li.4.c.27.

& per eius vestigia incedere pro viribus ab eodē collatis
Ioan.8. studeant, & elaborent; vtpote cum sit Via, Veritas, & Vita: Lux, & Dux noster, quem qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quam ob causam non antea Simon, & postea Christus: sed contra: Christus primùm pretiosum illud trophæum portare & consecrare voluit, & postea, vt a Simone post ipsum portaretur, indulsit. Quod egregie pro suo
In Euāg. Luc.c.23. more exposuit beatus Ambrosius dicens: *Et bonus ordo nostri profectus est, vt prius ipse Crucis trophæum erigeret: deinde Martyribus tradidit erigendū: conuenit enim vt trophæum suum prius ipse Victor attollat.* Et re vera, quis sub propriæ Crucis onere, vel ad martyrium, vel ad peccatorum satisfactionem sibi imposito, omnino non succumberet, si exemplo, subsidioq. primi huius Cruciferi non con-
Psal.73. fortaretur? Et Crux ipsa per manus eiusdem, cui pater est ille faber, qui auroram & solem fabricatus est, & mater illa Virgo, quæ fabro lignario nupta fuit, adeo expolita & læuigata fuisset, vt merito affirmari possit, eos qui illius hortationibus excitati, & promissis permoti,
Matt.11 Cruce in humeris assumpta, illum sequi statuerunt, iugum Christi, & onus illius, tantæ non leuitatis solum, sed etiam suauitatis suscepisse, vt eò non grauari, seu fa-
Hymnus Fortun.in laud. Domin.Pass. tigari, quin potius subleuari, refici, ac beari se intus experiantur, apertissimoq. sermone confiteantur, dicentes: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera.* Et
Cant.2. rursus: *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Verum ne a scopo diuertamus (iam enim de ipsa Crucis imagine in ligno, vel in alia re efformata, vt circumferri palam & publice posset, verba facere incepimus) quemadmodum Christum testibus Euangelistis Crucis gestandæ habemus Auctorem, ita quisque fidelis facile hoc nobis dabit, Crucis circumferendæ, vel quacumque ratione supra se gestandæ vsum, a tanto signifero Domino nostro in Apostolos, in Martyres, in Confessores,

fessores, & in omnes denique Christianos per imitationem manasse. At quoniam publicæ ac solemnis, de qua in primis nobis sermo est, prælationis Crucis Constantinum magnum, qui huic religiosissimo cultui maximum, & mirificum studium adhibuit, antesignanum & principem facimus, ab eo, & ab eius in hanc rem pietate, sequens caput auspicabimur.

De Cruce, quæ Constantino Magno Imperatori, eiusq. Successoribus, alijsq. Principibus prælata fuit.

CAP. IX.

INTER eos, qui sola sæculari potestate prædìti, Crucis viuificæ vexillum gestauerunt, nullus antiquior ac illustrior nobis occurrit Constantino magno Imperatore, Constantis & Helenæ filio: ad quē si Crucis magnificentissima cum solemnitate ac reuerētia circumlatæ initium referamus, profecto ritum eiusmodi valde antiquum, & vetustum esse liquido apparebit. De quo plane, quādo superato ad Pontem Miluium Maxentio, Vrbs omni lætitia illum excepit, ita scribit Nicephorus: *Constantinus tam mirificam consequutus victoriam, Deum celebrando canens, & voce clariore triumphando iubilans, Vrbem Romanam est ingressus, ciuibus omnibus hilaritate, & lætitia summa animis eorum exultantibus, cum plausu, feliciq. omine, & acclamatione eum tamquam seruatorem, & liberatorem suum victoriæ trophæum ferentem, cum prius Vrbem totam coronis obsedissent, producentibus atque excipientibus.* Et licet hoc testimonium primum attulerim ad ostendendum, quòd Crucem manu propria Vrbem Romam ingressus gestauerit, sicut contra Christus Hierosolymam egrediendo proprijs humeris sustulerat, vt verba illa Nicephori:

Hist. Eccles. lib. 7. cap. 30.

Victoriæ trophæum ferentem, significare videntur; si quis tamen contendat illam aliorum manibus in dicto triumpho perlatam, id profecto maxime ad rem nostram faciet, & in eum sensum accipiet, qui instituto, de quo loquimur, magis vicinus & connexus est. Quanta vero cum diligentia, solicitudine, fide, ac pietate, hanc Crucis gestandæ consuetudinem seruare studuerit Deo gratissimus Imperator, idem Nicephorus, & quotquot rerum ab illo gestarum historiam texuerunt, apertissime docent; cum omnes in omnium celeberrima narratione conueniant, quòd Crucem, in quam primum ac præcipuum signum bellicum Romanorum, quod labarum dicebatur, conuerterat, vbique sibi in exercitu præferri fecerit: & quòd eo signo præcedente in omnibus suis pręlijs inuictus, & victor semper euaserit, vt Sozomenus retulit his verbis: *Imperator prophetias de Christo admiratus, mandatum viris arte peritis dat, vt signum, quod a Romanis Labarum vocatur, in effigiem Crucis auro, & lapidibus collustratam mutarent. Hoc signum bellicum in multo maiore honore, quàm alia, propterea fuit, quòd semper Imperatorem antecedere, & a militibus adorari consueuit.* Et paulo infra: *Nam istud propugnaculum ante copias suas semper gestandum curauit. Et si quæ cohors laboraret, illud ei admouere iussit; atque lectissimos satellites ad illud negotium obeundum constituit, quibus onus impositum erat, vt singuli vicissim signum humeris ferrent, & acies hostium circumirent.* Hæc Sozomenus: cuius potius, quàm Eusebij, vel ceterorum, qui de hac re scripserunt, testimonium recensere placuit, cum paucioribus, nempe in vno & breui capite perstrinxerit, quæ alij pluribus capitibus, & prolixe sunt complexi. Caput vero illud hac pulchra, & mirabili narratione concludit: *Dicitur porro nullum vnquam militem, qui munere signi huius gestandi fungebatur, in bello (quod sane credibile est) in grauem aliquam calamitatem incidisse, aut vulnus accepisse, aut captiuum abductum fuisse.* Et hoc sane diuinum vexillum ad suam vsque ætatem in Imperatorio, aut aulico in-

strumento

Niceph.

Lib.I.c.4.

ſtrumento aſſeruatum teſtatur Nicephorus. Li.7.c.29

Prudentius quoque eiuſdem ſigni figuram egregie his verbis expreſſit: Lib.1.cõtra Symmachum.

Agnoſcas Regina lubens mea ſigna neceſſe eſt:
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.
Hoc ſigno, inuictus transmiſſis Alpibus vltor
Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus.

Et infra:

Teſtis Chriſticolæ Ducis aduentantis ad Vrbem
Miluius, exceptum Tiberina in ſtagna Tyrannum
Præcipitans, quànam victricia viderat arma
Maieſtate regi, quod ſignum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint ſtemmate pila.
Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat Labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis.

Hanc vero Crucis geſtandæ conſuetudinem a Prophetis prædictam, ac prænunciatam fuiſſe, Ezechielis teſtimonio conſtat, qui ita de Cruce vaticinatus eſt: *Et tu fili hominis, ſume tibi lignum vnum: & ſcribe ſuper illud Iudæ & filiorũ Iſrael ſociorũ eius: & tolle lignum alterum, & ſcribe ſuper illud Ioſeph lignum Ephraim, & cunctæ domus Iſrael ſociorumq. eius. Et adiunge illa vnum ad alterum tibi in lignum vnum: & erunt in vnionem in manu tua.* Quem locum ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis expoſuit de Cruce Chriſti, quæ manibus deferenda erat. Ezec.37 Iſidorus.

Merito igitur præſtantiſſimus ille Imperator Spiritu ſancto ductus, & in Chriſto Patris Beatiſſimi Silueſtri Papæ doctrina, conſilio, & monitionibus inſtitutus, tantorumq. beneficiorum a Deo per Crucem acceptorum memor, & quantum per ipſum fieri potuit, non ingratus, nihil eorum omiſit, quæ ad Crucem decorandam, honeſtandam, & ad aſtra vſque tollendam animo concipere, & opere complere potuerit. Cauit prætерea grauiſſimis pœnis ne quis deinceps ex reis Cru- Sozom. lib.1.c.8.

cis patibulo afficeretur. Ex quo factum est, sicut iam animaduertimus, vt quod probro, & dedecori erat, in gloriam & dignitatem fuerit cōmutatum: & vniuerso orbi in pretio, & in summa veneratione haberi cœptum sit quod antea scandalo, & stultitiæ attribuebatur.

1. Cor. 1.

Præterea, quis satis pro laude explicare poterit, quanta fidelium populorum pietas, & deuotionis studium excitatum fuerit erga huiusmodi cæleste potius quàm terrenum trophæum, postquam strenua opera, & virili animo, tum incredibili pietate ab Helena sanctissima ipsius Constantini matre diligentissime illud conquisitum, & inuentum fuit? Quare autem illa potissimum ætate, illisq. fidelibus Principibus orbis imperium obtinentibus pretiosissimus ille thesaurus, & omnium speciosissima gemma inuenta fuerit, eruditissimus P. Bellarminus tam rationi consentaneam, & ni fallor, certissimam affert causam, vt quin illam cum ipsis illius verbis hic describerem, me non potuerim continere. Inquit enim: *Deus eo tempore Crucem inueniri voluit, quo tutò poterat coli, nimirum ad initium Imperij Constantini. Nam si antea reserata fuisset, regnantibus persequutoribus, magis ludibrio, quàm honore excepta fuisset. Si autem diu post tempora Constantini fuisset inuenta, fraudata fuisset sancta Crux debito honore. Tunc igitur diuina Prouidentia Crucem manifestauit, quo primum potuit coli.*

P. Bellarmin. controuers. 7. lib. 2. c. 26

Qui Constantino in Imperio, & fide successerunt, illum in præferenda, & honoranda, Cruce imitati fuerunt.

CAP. X.

NEC dubium alicui esse arbitror, quòd fideles Principes, qui Constantino in Imperio successerunt, eundem

eundem præferendæ Crucis ritum seruauerint, cum Crux Labari loco in exercitu, & in prælijs ante Imperatorem gestari solita fuerit: & quamquam impius Iulianus hunc, dum imperaret, vsum reiecisset, eo tamen vita functo, vsus ille in pristinum honorē fuit restitutus: Declarat id admirabilis victoria, quā Theodosius senior aduersus Eugenium, & Arbogasten, Deo pro ipso pugnante, est consequutus. Hanc breuibus referam, si tamen prius in medium attulero paternam cohortationē, qua Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus Constantio Constantini Magni filio, & heredi persuadere conatus est, vt in præferenda Cruce, patris pietatem imitaretur, cuius hæc sunt verba officij & admirabilis religionis illius plena: *Decuit autem huiusmodi visiones cælestes non silentio præterire, sed pietati tuæ, recenti adhuc eius rei memoria, significare, vt ad fidei, quæ in te inest, bona fundamenta, earum rerum, quæ nuper ostensæ sunt, cognitionem adiungens, firmiorem in Dominum nostrū Iesum Christum fiduciam assumas, simulq. omni fortitudine consueta vndique roboratus, vt Deum ipsum adiutorem habeas, Crucis trophæum salutare, & omni gloria sublimius præferas, signum, inquam, illud, cuius figuram cælum ipsum hominibus ostendens maxime gloriosum esse docuit.*

Sozom. lib. 5. c. 16.

Niceph. li. 12. hist. Eccl. c. 39.

Sozom. lib. 4. c. 4. Sur. die 7. Maij.

Modo igitur ad Theodosium reuertamur, de quo hęc refert Nicephorus: *Porro cum ordinum duces paucitatem sociorum causarent, & expeditionem differendam suaderent, vt scilicet primo vere exercitus alius contraheretur, & militum numero hostes vincerentur: nequaquam in ductorum consilio acquieuit Imperator: Minime namque tantam tribuendam esse imbecillitatem dixit omnipotenti Crucis armaturæ, quæ ex aduerso Herculis imagini opposita est: exercitui namque meo (inquit) Crux præit, illius autem copias Hercules ducit. Nec fefellit eum sua in Cruce fiducia: nam Ioanne Baptista Domini præcursore, & Philippo Apostolo, immo & vento ipso ac turbine pro eo pugnantibus, gloriosissima, vt mox dixi, contra duos dictos tyrannos victoria potitus est.* Hoc ipsum confirmatur exemplo militū, qui Valente Imperatore contra Athanarichum milita-

Hist. Ecclesi. li. 12. cap. 39.

Socr. lib. 6 cap. 24.

militauerunt, de quibus hæc ſcribit Metaphraſtes in vita ſancti Nicetæ Martyris: *Itaque ferentes diuinam Chriſti Crucem præcedentem omnes ſuas copias, prælio confligunt cum aduerſarijs: & eum, qui vicerat, facile vincunt.*

Apud Sur. die 15. Septemb.

Poſtremo adijciam de Rege Conuallo illud, quod refert Ioannes Leſleus, Epiſcopus Roſſenſis, quem ſupra quoque memoraui. Ille enim Crucis ſignum non ſolum in arcibus, oppidis, & ciuitatibus locandum curabat, ſed etiam illud ex argento affabre factum ſibi præferri volebat: quod, equum aſcenſurus, oſculo deuotiſſimo excipiebat, & cum omnibus ſtantibus ſumma veneratione proſequebatur.

Ioannes Leſleus de orig. & reb. geſt. Scot.

Videmus itidem noſtra ætate Chriſtianæ militiæ ordines, ſiue mari, ſiue terra dimicaturi ſint, in vexillis, & alijs ſignis bellicis figuram Crucis fere omnes vel auream, vel argenteam, vel rubram, aut viridem, aut nigram, aut denique alicuius alterius coloris præferre. Sunt tamen nonnulli, qui Chriſtum Cruci affixum deferant. Alij vero Sancti, vel Sanctæ, Gentis alicuius patronæ, & titularis imaginem geſtant Crucem in manu habentis, ne interim repetam quòd ſinguli etiam milites, pietatis Chriſtianæ memores, armis ſuis, equis, & veſtibus Crucem inſculptam, vel affixam ſolent habere: Satis enim mihi eſt ex ijs, quæ dicta ſunt, oſtendiſſe religioſam Crucis exercitibus Chriſtianis præferendę conſuetudinem a Conſtantino introductam vſque ad præſentem diem ſemper ſeruatam fuiſſe, ac viguiſſe.

Anti-

Antiquißimum fuiſſe ritum præferendi Crucem Romanis Pontificibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & omnibus Metropolitis oſtenditur.

CAP. XI.

ROMANVS PONTIFEX, quem Chriſtus ſui loco in vniuerſa Eccleſia caput præpoſuit ſuper omnem Principatum,& Poteſtatem,hoc honore ceteris præſtat,vt eum in publicũ prodeuntem Crucis ſignum antecedat. Simili ritu vtuntur Archiepiſcopi,& ceteri Metropolitæ in ſua Metropoli, ac Prouincia, vel etiam in certo aliquo Regno,vti certis Primatibus indultum fuiſſe audiuimus,vt interim taceamus Archiepiſcopum Nazarenum, quem ferunt hoc priuilegio inſignem, vt Crux ei præferatur per vniuerſum orbem: hos omnes inter eos ſupra complexi ſumus, qui ſpirituali tantum poteſtate præditi eſſent: quorum dignitati etſi rerum temporalium eſt adminiſtratio coniuncta (& hi rari admodum ſunt) ipſorum tamen ſæcularis poteſtas breuibus limitibus præfinitur & continetur. At Romanus Pontifex vnus eſt, qui vtraque poteſtate præfulget; cuius ditionis fines longe, lateq. proferuntur: eiusq. ſumma poteſtas & auctoritas non in eos tantum diffunditur, qui in ditione temporali eius imperio, nullo alio intercedente Principe, ſubſunt, ſed in omnes etiam, qui per orbem vniuerſum, Symbolo Chriſtiano ſunt inſigniti; vtpote, cui, in beatiſſimo Petro æternæ vitæ clauigero,terreni ſimul & cæleſtis imperij iura commiſſa fuerunt, idq. præmonſtrat ſpiritualis & materialis gladius illi traditus: ille quidem vt ſanctus Bernardus ait, propria; hic vero militis, Imperatoris videlicet & Regis, manu exerendus: hic ad nutum, ille vero datus fuit ad vſum, vti fuſe demonſtrant,qui inter ceteros ex

[Margin: Archiepiſcopi Nazareni priuilegium.]

[Margin: Diſt. 22. cap. Omnes.]

[Margin: De cõſid. lib. 4.]

ſancti Patris Auguſtini familia, præter Auguſtinũ Triũphum Anconitanũ,de poteſtate Eccleſiaſtica ſcripſerũt, Ægidius ſcilicet Colũna Romanus, Archiepiſcopus Bituricenſis,Iacobus Viterbienſis Archiepiſcopus Neapolitanus,Guillelmus Cremonẽſis Epiſcopus Nouarienſis, Alexander de ſancto Elpidio Epiſcopus Melfitanus, quẽ nonnulli Archiepiſcopum Rauennatem faciunt, Et Auguſtinus Fauaronius Romanus Archiepiſcopus Nazarenus in operibus, quæ propediem typis mandabimus.

Ex Commentarijs Ordinis.

Quia tamen Crucis præferendæ honor a Romano Pontifice ad Metropolitas, vt inferius oſtendetur, deriuatus fuit, & quòd his vel illis Crux præferatur, antiquitas ijſdem pene fundamentis innititur; bina hæc membra vno capite complectemur. Inde autem ducemus initium,ſi,quod ſupra ſtatuimus, iterum memoria repetamus, nimirum, non tam certo nobis conſtare, fuerit necne ritus hic præferendæ Crucis in vſu apud beatum Petrum Apoſtolũ, & alios vſque ad tempora,quæ Conſtantinum Imperatorem conſequuta fuerunt. Incredibile tamen ardensq. animi ſtudium in Apoſtolis promulgandi Euangelij,Veritatisq. propagandæ facit,vt exiſtimemus illos manibus Crucem tamquam clypeum fortiſſimum geſtare ſolitos, quando & publice Crucis virtutem profitebantur, & in Crucem agi exoptabant. Vbi vero Conſtantinus, nomine & re Magnus,Chriſtianam religionem amplexatus fuit, & ex eius conuerſione & pietate in Chriſtum pax fuit Chriſtiano populo reſtituta, nulla ratione ambigendum eſt, quin beatiſſimus Pontifex Siluester tanto trophæo cum ſolemni pompa vti cœperit, cuius venerationis in Vrbe Auctor extiterat. Præter id autem,quod (vt inferius demonſtrabitur) eſt Romani Pontificis proprium, inſigne, ab ea tempeſtate beato Siluestro, eiusq. Succeſſoribus libera data eſt facultas,vt omnibus, ſingulisq. imperatorijs ſignis vti fas eſſet; inter quæ præcipuum erat excellentiſſimum Crucis trophæum: Cuius eo frequentior

quentior esse debet Pontificibus vsus, quo crebriora ac difficiliora sunt ipsis, quàm Imperatoribus, certamina: his enim contra visibiles hostes, a quibus quotidie non adoriuntur: illis vero contra inuisibilia, eaq. innumera & nequissima hostium agmina, a quibus omni temporis momento fideles inuadũtur, præliari oportet. Quod si humilitatis alioqui, ceterarumq. virtutum plenus, felicissimus ille Præsul, alijs imperatoriæ dignitatis insignibus, se a Constantino exornari aliquãdo passus fuit, proculdubio credendum est, sine Cruce, quæ Pontificiæ dignitatis propria est, eum numquã in publicum processisse. Quamuis autem nullum apud veteres legerim de Pontifice Romano huiusmodi solemnis gestationis exẽplum, non tamen ritus illius auctoritas & fides apud nos imminuitur, maxime cum inferiorũ Præsulum exempla non desint: Extat inter cetera illud S. Augustini Anglorum Episcopi in vita sancti Gregorij a Ioanne Diacono relatum his verbis: *Ad ciuitatem Augustinus cum socijs prælata Cruce seu Saluatoris imagine appropinquans cecinit dicens: Deprecamur te Domine, & cet.* Lib. 2. cap. 35.

Accedit & alterius eiusdem insulæ Prælati, sancti videlicet Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis exemplũ, a Guillelmo de Repub. Angl. lib. I. cap. xvj. narratũ his verbis: *Curiam ingressus est Thomas Crucem argenteam ante se portari solitam propria manu baiulans, volentibusq. quibusdam, qui aderant, ministerium portandæ ante Metropolitanum proprium Crucis suscipere, abnuit: nec alium in illo conuentu publico Crucis baiulum quantumcumque rogatus admisit.*

Gabr. Frãcicanus lib. 5. de antiqu. & situ Calabriæ, non procul ab initio. Nilus fuit Monach. & Abb. ex ord. S. Basilij in Calabr. nat.

Hoc ipsum confirmatur ex egregia historia, quã de beato Nilo Imperatori Othoni in occursum procedente Bartholomæus Cryptes monachus scripsit in hæc verba: *Ad Nilum cum Imperator Otho accessisset, ei cum Cruce obuiam perrexit, magnaq. humilitate, ac pietate Cæsarem veneratus est; ac in cœnobium induxit. Vbi cognita viri pietate, ac religione, passus non est Imperator, se a Nilo adorari; sed contra Cæsar coronam in eius manu deponens, ab eo benedictionem postulauit.*

Æthiopiæ quoque Regi, quem vulgus Prætoioannem magnum appellat, quadraginta & amplius Regnis dominanti, dum iter agit, Crucem a Clericis semper præferri testatur Franciscus Aluarez cap. 88. Cui exemplo & illud ob eius singularitatem potius quàm quòd ijs, quæ protulimus, admodum conueniat, subijcere mihi liceat, exceptum ex libro, qui nouus orbis inscribitur in nauigatione Iosephi Indi cap. 133. in quo narratur, Pontificem Christianorum ciuitatem Carangonaram inhabitantium, qui Catholica ab eis nominatur, tonsuram capitis ferre instar Crucis factam.

Frácifcus Aluar.

Sed his Maiorum exemplis contenti, alterius generis testimonium proferamus, quo vel vno omnia, quæ in hoc capite diximus ne dum validissime confirmemus, verumetiam luce clarius illustremus. Illud autem desumpsimus ex capite, Antiqua extr. de priuil. & priuileg. excef. vbi ita habetur: *Antiqua Patriarchalium sedium priuilegia renouantes, sancta vniuersali Synodo approbante, sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ, disponente Domino, super omnes ordinariæ potestatis obtinet principatum; vt pote mater vniuersorum Christifidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant*. Et infra: *Dominicæ vero Crucis vexillum ante se facient vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicumque summus Pontifex præsens extiterit, aut eius Legatus vtens insignibus Apostolicæ dignitatis*. In quo Canone tria potissimũ occurrunt diligenter consideranda, quæ ad institutum, de quo agitur, plurimum faciunt. Primum est, quòd vexillum sanctæ Crucis inter sedis Apostolicæ insignia connumeratur. Quod satis euidenter colligitur ex eo, quòd post Crucis gestationem Patriarchis concessam, prohibetur ne in loco, in quo pręsens fuerit Legatus insignibus Apostolicę Sedis vtẽs, Crucem sibi præferri permittant. Ex quibus verbis proculdubio ostenditur, Crucẽ ad eiusmodi Apostolica insignia esse referendã. Alterum, quòd nemini, præterquã

Extrauag.

Romano

Romano Pontifici sacrũ illud vexillum præferendũ sit, nisi cui ab eodẽ summo Pontifice illius præferendi facta fuerit facultas. Quod ex eisdem ferme verbis deducitur, ex quibus primum priuilegium petebatur: & eo magis, quòd eius gestationis locus, tempus, & modus, ceteris omnibus ab eadem Sede præscribitur. Quod plane dilucide confirmatur rescripto Alexandri III. ad Archiepiscopum Eboracensem, cui in hæc verba respondit: *Statuimus, vt litteræ prohibitionis nostræ, quas ad petitionem Archiepiscopi Cantuariensis tuæ fraternitati direximus, nullum tibi præiudicium faciant, quominus tibi & successoribus tuis liberum sit (quemadmodum vobis est beneficio Apostolicæ sedis indultum, & tu, & prædecessores tui consueuistis facere) ante vos per totam Angliam deferre Crucem, quousque definitiua sententia decernatur, an Ecclesia tua de iure hoc debeat habere.* Tertium, quòd huiusmodi prælationis priuilegium Patriarchalibus sedibus collatum, tunc temporis etiam antiquum habebatur. Quare prudentissimi illi Patres vnà cum aliis, quę prius repetita fuerant, renouandum esse merito censuerunt. Ex quibus argumentari licet, quòd vetustus fuit religiosissimus hic ritus in Ecclesia Romana, cui Patriarchalium illarum cathedralium prisci, & antiqui Præsules tantum honorem acceptum retulerunt. Cuius antiquitatis tam pro Patriarchalibus, quàm pro Romana, sedibus in pręferenda Cruce institutio aperte constabit, si supputemus nõ solum annos, qui inter Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum, in quo supradictus Canon editus fuit, sed ętatem illorũ etiam Archiepiscoporũ, qui intercesserunt, apud quos Crucis gestandæ vsum fuisse grauissimorum Scriptorum testimonijs paulo superius demonstrauimus. Etenim Cõcilium illud anno M. CC. XV. coactum fuisse constat. Beatus vero Thomas Cantuariẽsis sexaginta sex annis Synodũ antecessit: At si ad ætatem sancti Augustini Anglorum Apostoli, cuius etiam exemplum superius allatum est, huius ritus consuetudinem referamus, quem sub Gregorio,

Ext. vtlit. pẽd. cap. A memoria.

Cõcil. Lateranẽse.

gorio, a quo, vt diximus, in Angliam prædicandi Euangelij gratia missus fuit, in humanis fuisse constat, euidentissime apparebit, cæremoniç huiusce antiquitatem mille annorum spatium excedere.

De fide, & symbolo, cap. 12

Sed, vt tandem huic disputationi finis imponatur, nō ab re fuerit hoc loco amplissimi D. Hosij Varmien. Episcopi sententiam de hac re in medium proferre, quæ huiusmodi est: *Ceterum Archiepiscopo, vltra Crucem de collo pendentem, præfertur etiam Crux quoties in publicum prodit, quò numquam non ante oculos ipsius versetur: vt quemadmodum princeps est Episcoporum, ita se Principem esse meminerit ad quæuis adeunda pericula pro fide, & Ecclesia Christi, & pro salute concrediti sibi gregis conseruanda, quin & ad mortem ipsam, si qua id necessitas postulet, obeundam.* Sed de his hactenus, nam de huius nostri ritus causis iam iam sermonē aggredimur.

Antiquissimi Patres vsi fuerunt Cruce, in qua imago Christi affixa pendebat.

CAP. XII.

SATIS superq. erat ad id, quod demonstrare proposuimus, statuendum, de Cruce in genere testimonia attulisse, cum parum referat, hæc de sola & nuda Cruce dixisse, vel de illa, quæ Christum Cruci affixum refert. Verum quia Cruci, quæ Pontifici, ceterisq. Præsulibus præfertur, Christus in Crucem actus cernitur, ne cui de huius circumstantiæ antiquitate dubitatio aliqua suboriri possit, vetustissimorum Patrum auctoritate comprobabimus. Quod eo libentius facimus, vt Iconomachorum nostri temporis hæreticorum ignorantiam simul & impietatem redarguamus, maxime illorum, qui licet Crucis vsui non aduersentur, Crucifixi tamen imagini impijssime detrahunt.

Irenæus.

Irenæus contra hæreses lib. II. cap. 42. hæc habet,

quæ

quæ ad rem noſtram aſſerendam facere videntur: *Ipſe habitus Crucis, fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudinem, duos in latitudinem, & vnum in medio, vbi requieſcit, qui clauis affigitur.* Lactantius vero Firmianus de propoſito argumento luce ipſa clarius teſtimonium perhibet ſequentibus carminibus:

Quiſquis ades mediq. ſubis in limina templi,
Siſte parum, inſontemq. tuo pro crimine preſſum
Aſpice me. ———— Carmine de paſſione Domini.

Et paulo poſt ſubdit:

Cerne manus clauis fixas, tinctoſq. lacertos,
Atque ingens lateri vulnus, cerne inde cruorem
Sanguineum, foſſoſq. pedes, artuſq. cruentos,
Flecte genu, lignumq. Crucis venerabile adora.

Accedit ad hæc beati Ioannis Damaſceni ſententia De fide orth. li. 4. cap. 17. dicentis: *Imaginem transfixionis Christi videntes in Saluatoris paſsionis memoriam redimus, & procidentes adoramus non materiam, ſed imagine repræſentatum.* Et addit ſubſequentia verba, quæ rei antiquitatem manifeſtiſſime oſtendunt; nempe dicens: *Eſt autem hæc traditio* (Crucē videlicet adorandi) *non ſcripta, perinde ac adorationis ad Orientem.* Refert enim hanc doctrinam ad ſanctiſſimos Apoſtolos tamquam ab illis non ſcripto, ſed voce, & vſu traditam: in quo genere, vt ex his verbis aperte patet, repoſuerat aliam traditionem, quæ eſt adorandi ad Orientem. Huc etiam ſpectant verba illa, quæ in lib. 11. cap. 2. & 3. S. Auguſt. to. 9. de viſitatione infirmorum habētur, licet opus illud non minus Auguſtino quàm Tertulliano falsò adſcriptum credamus; ibi enim ita legitur: *Adijcitur ſuper Crucē quadam hominis inibi patientis imago. Per quod ſalutifera Ieſu Chriſti nobis paſsio renouatur: & cet.* Tertullianus. Vbi & diſtichon huiuſmodi ſubijcitur:

Nec Deus eſt, nec homo, præſens, quam cerno, figura:
Sed Deus eſt, & homo, quem ſignat ſacra figura.

Vt autem hanc catholicam veritatem vno vel altero Sanctorum exemplo comprobemus, illud primò in medium

dium afferamus quod de sancto Eustathio, qui, dum sub Traiano Prætorem ageret, Placidas vocabatur, Metaphrastes, & Nicephorus, Damascenus, immo & Nicæna Synodus II. referunt. Metaphrastes (cuius tãtum verba retulisse sit satis) de eo in venatione proceræ staturæ cerui se exercente, ita scripsit: *Supra caput Cerui, qui apparuit, & ex vtroque eius cornu, Saluatoris Crucis erat signata figura colore admodum splendido, & luminoso: in ipsa autem ille, qui carne fuit pro nobis passus, tamquam in tabula erat formatus in aëre. Ex illo autem spectaculo vox quadam audiebatur dicens: Placida, quid me persequeris? Ego sum Christus Iesus, &c.*

Sur. 2. Nouemb. Niceph. lib. 3. c. 29

Secundo loco nobis se offert exemplum, quod in vita insignis martyris Procopij, qui ante susceptum baptismum Neanias appellabatur, & a Diocletiano dux militum fuerat constitutus, narrat Metaphrastes his verbis: *Cum Apamia triginta stadijs abesset, vocem audiuit illum interrogantem quo iret? Respõdenteq. Neania aduersus Christianos se proficisci; rursus vox illi insonuerat: Cur ergo me persequeris? Iterum respondit Neanias: Tu quis es Domine? Et cum hæc dixisset, statim apparet Crux crystallo similis, voxq. e Cruce exijt dicens: Ego sum Iesus crucifixus Dei Filius.* Et post pauca: *Cum hæc dixisset Dominus, & diuino gaudio impleßet animum Neania, ascendit in cælos: In hoc, dicens, signo, quod tibi apparuit, vince hostes.* Et ne singula verba referentes prolixiores simus, cum ad Crucis, quæ sibi apparuerat, similitudinem, aliam ex auro & argento conflari curasset, antequam absolueretur, visæ sunt in ea tres imagines hac inscriptione: *Superne quidem in principio Emmanuel, in ijs autem rursus, quæ erant vtrimque, initijs, Michael, & Gabriel.* Hanc vbi perfectam vidit Neanias, miraculo id totum attribuit, atque inde Crucis virtutem animo concipiens, illam adorauit, & pretiosissima purpura inuoluit, opifici ingenti pretio persoluto, lætusq. abiit. Quo loco dubium esse non potest, primam illam & digniorem imaginem, cui insculptũ erat nomen Emmanuel, fuisse Saluatoris nostri crucifixi effigiem. Quid

Apud Sur. die 8. Iulij, to. 4.

igitur

igitur hæreticus orthodoxam Ecclesiam incusat, quòd Christi imaginem in Cruce effingi nō improbet, & effictam veneretur, cum id edocta fuerit a suo sponso, qui ea forma hominibus apparere dignatus est, vt hac ratione ex infidelibus fideles, ex impugnatoribus propugnatores Christianæ religionis effecti, pro Cruce vitam neci exponere non formidarent?

Cur summo Pontifici, Legatis, Patriarchis, Archiepiscopis præferatur Crux imaginis Christi, facie ad illos conuersa, reliquis vero omnibus auersa.

CAP. XIII.

ABSOLVTIS paucis, quæ in proximo superiori capite de imagine Saluatoris dicenda erant, neque præter rem, nunc alia quæstio circa eiusmodi Crucis vsum nobis occurrit: ea autem est huiusmodi: Quare dum regulares, & sæculares Clerici ad processiones conueniunt, & congruo ordine prout decet, simul incedunt, Crux eis, auersa Christi facie: summo autem Pontifici, Archiepiscopis, & huiusmodi alijs Hierarchis Ecclesiasticis conuersa præferatur: Cuius ritus admonetur Subdiaconus Apostolicus (qui & Crucifer Pontificius dicitur) in sacrarum cęremoniarum libro, his verbis: *Sed aduertat Subdiaconus, cum portat Crucem, vt semper Crucifixum vertat ad Pontificem, qui sequitur: Cum autem Pontifex non sequitur, Crucifixus sit in parte anteriori.* Lib. 3. sect. 2. cap. 21. Huius vero cæremoniæ causa, hæc nobis videtur: vt scilicet ex diuersa, & opposita Crucis huiusmodi gestatione, duo singulares prælationis Crucis effectus significentur: Nempe inimicorum nostrorum inuisibilium effugatio, & hic est prior: alter vero, a malis per illos nobis intentatis tutela

atque defensio. Quos ambos paucis his verbis complexus est beatus Pater Augustinus: *Hoc signum præsidium est amicis, obstaculum inimicis.* Amicos autem eos intelligit, qui Crucem sequuntur: inimicos vero, qui ei ex aduerso veniunt. Ait enim Dux, & inuictus Imperator noster Christus: *Qui non est mecum*, Crucem videlicet, quæ est militum meorum vexillum, sequens, *aduersum me est:* & Petro, qui non quæ Dei, sed quæ hominum & carnis sapiebat, eum a Cruce, in quam se agendum esse prænunciauerat, deterrere, & arcere conanti, increpando illum respondit Dominus: *Vade post me Sathana, scandalum mihi es.* Propterea enim Sathanam, qui interpretatur aduersarius, eum appellauit, quòd antegredi eum, & illius studium anteuertere volebat. Quod indicant illa verba: *Scandalum mihi es.* Offendicula autem pedibus hominum ante non retro ponuntur. Id ipsum, & quidem apertius, per illa significatur: *Vade post me.* Quod dictum non conuenit, nisi illi, qui vel præire, vel saltem ex æquo incedere velit. Aduersum istos igitur primo effertur, & eleuatur Crucis Dominicæ signum; quasi communi omnium illud sequentium consensu, & voce contra infestissimos hostes inclametur: *Ecce Crucem Domini: fugite partes aduersæ.* Namque, vt beatus Ambrosius ait, *Vbi signum Crucis erigitur, statim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella sopitur.*

Serm. 19. de Sancto. 10. — *Luc. 10.* — *Mat. 16.* — *Serm. 52.*

Quòd vero aduersarum potestatum effugatio illud sit, quod primum in ipsa Crucis eductione a Deo impetrare optamus, declarant Exorcismi in sacrorum rituum libris præscripti, creaturis Deo dicandis seu benedicendis prælegendi: quales sunt, qui hominibus prælegungtur, qui siue infantes, siue adulti fuerint, ad baptismi fontem accedunt: & illi, qui ædibus ad Dei cultum mancipandis recitantur, vt taceam de sale, & de aqua in hunc finem exorcizari solitis. At exorcizare, idem est, quod adiurare: & exorcistę ideo dicti sunt, quibus adiurandorum malignorum spirituum, expellendi

In Missali, Sacerdotali, & Pontificali. — *Exorcistę quid.*

eos gratia, vt Tertullianus & sanctus Cyprianus docuerunt, facultas impertitur. Hunc ipsum effectum significari dicendum est, cum facies Crucifixi Clero prælati ad eos, qui ex aduerso obuiam veniunt, conuersa tenetur. Hoc enim in cuiusque itineris, vel cuiuscumque actionis & motionis initio, suis precationibus sibi largiri postulant fideles; vt scilicet abijciantur, & procul pellantur quicumque pijs eorum conatibus impedimento esse student. In hanc rem malignos spiritus vires omnes suas intendere nulli dubium est. Quòd vero Crucifixus conuersa facie ad Antistites præferatur, significat Deum præcipuó quodam modo illis adesse, singulariterq. eis assistere. Eos vero qui post Crucem veniunt, & Christo (vt ita dicam) concrucifixos a cunctis malis, & periculis esse protegendos, & eruendos, ac bonis salutaribus afficiendos, & locupletandos ostendit. Ipse vero ordo procedendi, per quem necessario fit vt Pastor medius inter Crucem, quæ illum antecedit, & populum qui eum retro comitatur incedat, declarat; Præsulis officium esse, vt ipse mediator sit inter Deũ, & oues sibi creditas, pro quibus cũ offerre dona & sacrificia non cesset, diuinæ largitatis gratiæ, & vberrima beneficia super populos effunduntur. Id fuisse præsignatũ etiam in Moyse, sacra Exodi narratio testatur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui amicus ad amicum suum.* Inde enim excipiebat quæ erat gregi sibi credito propalaturus, ac mandaturus. Longe clarius id ipsum quoque indicatum fuit, quando Iudæis visione lampadarum perterritis, montisq. fumantis aspectu, & auditione vocum, sonituq. buccinæ (quæ Dei ad eos loquentis signa erant) pauore concussis, & propterea illũ ita rogantibus: *Loquere tu nobis; & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* In hęc verba, quæ Deuteronomij cap. 5 habentur, respõdit: *Ego sequester, & medius fui inter Deum, & vos in tẽpore illo, vt annunciarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem;*

Tertul. li. 1. ad Scapulã. Et S. Cyprian. epist. 2. & 75.

Exo. 33.

Exo. 20.

Deut. 5.

Eadem sane in legis nostræ maioribus Sacerdotibus fieri egregie declarauit Augustinus elucidans illud Psal. 75. *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*, dicit enim: *Qui sunt montes magni? Prædicatores veritatis. Tu illuminans, sed a montibus æternis. Primi magni montes excipiunt lucem tuam, & a luce tua, quam suscipiunt montes, vestitur terra. Sed illos magnos montes exceperunt Apostoli, tamquam orientis luminis primordia exceperunt Apostoli. Numquid quod acceperunt apud se retinuerunt? Nonne diceret illis: Serue nequam, & piger dares pecuniam meam nummularijs? Si ergo quod susceperunt, apud se non retinuerunt, sed omni orbi terrarum prædicauerunt: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis*. Omitto, ne videamur a proposito instituto longius progredi, innumerá beneficia per Pastorum interpellationes, & merita populis in ipsorum subsidium, & tutelã mirabiliter a Deo collata, quæ plane haud minus nota sunt, quàm quæ per Moysen Israeliticæ genti a Deo largita fuisse diuina recenset historia. Nec sane inficias eo, quin ambos iam dictos effectus operetur Crux hac vel illa ratione gestata: sed id solum affirmasse volumus, per Crucem priore illo ritu portatam nobis repræsentari primam illam vtilitatem, quæ est, vt iam non semel supra repetiuimus, aduersarum potestatũ depulsio & effugatio: Per aliam vero gestandi formam præcipue significari, quæ nobis inde proueniant dona & beneficia.

Aug. to. 8 in Ps. 75. paulo ante med.

Mat. 25.

Quid simile etiam ostenditur in gestatione Crucis, quæ Clericis præferri solita est; ex cuius hasta, vt plurimum, pẽdet pretiosum quoddam pallium ligno transuerso adiectum, vt nobis apertius exprimat speciem Labari, quod, referente Iustino martyre, Crucis figuram ante Constantini tempora præseferebat: quod sane signum nõ minus terribile ac formidabile erat hosti Romanorum, quàm ipsis Romanis gratum, ac iucundum videbatur: nam eius visione animus, viresq. militibus ad præliandum mirifice addebantur. Maxima etiam prudentia seruari arbitramur id, quod in vsu est, quãdo

Apolog. 2 pro Christianis.

ad processiones solemni ritu celebrandas vniuersus Clerus, frequentissimusq. populus vnà cum Pastore suo conueniunt, nempe, quòd Clerici, & omnes Ecclesiastici viri, nullis alijs interpositis, ac interiectis, statim primam Crucem cum imagine Saluatoris ad anteriorem partem conuersam sequantur, & Crucifixo propinquiores incedant, quasi & illis, vt re vera decet, & oportet, illud beati Augustini de Christi discipulis dictum aptari possit, videlicet, *Vt illi sint etiam corpore viciniores, qui præceptis implendis animo plusquam ceteri propinquant*. Quanto enim Clerici præ laicis locum Cruci propinquiorem sortiti sunt, tanto insignioribus exemplis populos ad eam sequendam instruere & adhortari debent. Inter hos autem, & illos medius incedit cum Cruce propria Archiepiscopus Crucifixi facie ad eum conuersa, vt ex eius prospectu omni diligentia studeat talem se tum apud Deum, tum apud subditos præstare, vt ab illo in omnibus suis tam pro seipso, quàm pro populo suo oblatis precibus exaudiri mereatur, vitæq. suæ recta & inflexibili institutione, atque præstantia tam præeuntes, quàm sequentes ad se imitandum fideliter inuitare adhortariq. possit his ipsis Doctoris gentium verbis: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*.

De serm. Dom. in mõte lib. 1. cap. 1.

1. Cor. 11.

Quari

Quare Patriarcharum Crux duplici, Archiepiscoporum, & summi Pontificis, simplici linea in transuersum ducta constet.

CAP. XIIII.

OCCVRREBAT postremo hoc loco quæstio soluenda: Quam ob causam Archiepiscoporum insignia Cruce exornentur, cuius stipes vna tantummodo linea, eius vero, quæ super Patriarcharum insignibus pingitur, binis disparibusq. lineis decussetur, ita vt breuior linea superiorem locum obtineat, longior inferiorem; qualem esse dicunt Crucem per vniuersam Hispaniam decantatissimam, Angelico, vt creditur, non humano artificio confectã, quæ Carauacæ magna religione asseruatur. Nos igitur animaduertentes, quòd Romanum Pontificem, illiusq. Legatos antecedit Crux instar Archiepiscopalis, non autẽ Patriarchalis, necnon edocti ab Episcopis, qui vniuersam fere orientalem Ecclesiam peragrarunt, & Patriarchales, aliasq. primarias illas sedes visitarunt, quòd Crucis Patriarchalis vsus apud illas nullus sit, ac propterea existimantes eius formæ Crucis Præsulibus præferendæ consuetudinem nusquam seruari, disputationem hanc missam faceremus, nisi oculatorum testium relatione certiores facti fuissemus, esse in Europa insignis Metropolitanæ Ecclesiæ Archiepiscopum Patriarchali titulo decoratum, cui Crux præire soleat qualis super Patriarcharum insignibus statuitur. Cuius ritus ea proculdubio causa est, vt huiusmodi notæ & indicij varietate intelligamus in Ecclesia Dei esse sedes honore, & ditione dispares. Cum autem huiusmodi obseruationis testimonium scriptis traditum apud alium auctorem, quàm apud Ioannem Molanum in suo de picturis supra citato opere, minime

Crux visa in Hispania.

Ioannes Molanus.

inue-

inuenerim, illud nulla ratione prætermittendum existimaui. Cap. vt igitur 42. ita habet: *Hoc autem pro rudioribus addo: quòd baculo Episcopali non sit addendum Sudarium, siue orarium, sed Abbatiali: per hoc enim distinguitur ab Episcopali. Item quòd baculus Archiepiscopi non habet superius vncum, sed Crucem: Patriarchæ autem habet superius duplicem Crucem. Supremo Patriarchæ, siue Romano Pontifici, quidam dant pedum cum triplici Cruce ad redarguendam eorum cæcam, & diuturnam ambitionem, qui se contra Romanam Ecclesiam omnium matrem erexerunt, volendo Patriarcham Constantinopolis, quæ tunc noua quoque Roma dicebatur, vniuersalis Patriarchæ titulo insigniri, & eiusdem potestatis esse cum veteris Romæ Pontifice.* Cum enim Crux sit insigne præcipuum earum, quæ in Ecclesia Dei conspiciuntur, dignitatum, proinde simplex minorem indicat ordinis potestatem: multiplex vero maiorem & præstantiorem. Cui sane proportioni respondet veterum Romanorum consuetudo illa, iuxta quam supremum Magistratum plures fasces, inferiorem pauciores antecedebant. Et quidem huiusmodi instituto illarum Ecclesiarum mos valde conuenire videtur, vt nobiliori Clero Cruces binæ, & forte plures præferantur, minus vero insigni non item, sed simplex.

Cap. 42.

Quod si hæc ad sensum tropologicum referamus, dicemus, commode per Crucis multiplicitatem, & pluralitatem significari, vt quibus eminentior in Ecclesia locus est datus, grauius etiam solicitudinum, curarum, & laborum fuisse onus impositum. Quid est enim aliud Crux, nisi cruciatus signum? itaque multiplicem Crucem plurium cruciatuum indicium esse aperte consequitur. Inde est, vt, quod Ecclesiastes de scientia pronunciauit, dicens: *Qui addit scientiam, addit & laborem*, Eccls. 1. idipsum honori, potestati, seu dignitati Ecclesiasticæ accommodari posse nemo inficias iuerit; vt similiter dicamus: Qui addit potestatem, seu honorem, addit & laborem, vel etiam, quemadmodũ alia lectio habet, &

do-

dolorem. Nam, vt Patres interpretantur, cuicumque plus committitur, plus ab eo exigitur. Cuius sententiæ fuisse videntur, qui Crucem albam in eodē stipite duplicatam insignis Collegij & domus S. Spiritus de Vrbe symbolum esse voluerunt, nisi forte id ad differentiam illustrissimæ militiæ Hierosolymitanę factum esse dicamus. Etenim per alteram in transuersum superstructam lineam significatur votum ab eis præter tria omnibus regularem vitam profitentibus communia emitti solitum, quo se perpetuo vinculo obstringunt ad præstandum ægrotantibus famulatum. In quo sane voto persoluendo, tot, tantaq. incommoda suscipiunt, vt nisi charitas Christi, cui in egenis curandis seruiunt, illos erigeret ac sustentaret, omnino succumberent.

Crux Collegij S. Spiritus.

Verum si alicui his contrarium esse videatur, quòd Romano Pontifici, qui non solum Patriarcha, sed etiam Patriarcharum omnium Caput, & Pater est, eiusq. Legatis Crux præferatur communi ritu fabricata, non autē binis lineis decussata, huic dubitationi satisfieri posse putamus, si dicatur, non omnino constare Romanos Pontifices ea Crucis forma, qua modo vtuntur, olim vsos fuisse: visuntur enim nonnullæ summorum Pontificum imagines, quæ in manibus Crucem referunt, cuius stipes duplici ac triplici linea est decussatus: Neque vero incredibile est, talis formæ Crucem eis aliquando prælatam, qualem in manibus ipsorum nonnulli effingunt. Nam Patriarchæ depicti, & eorum gentilitia signa talem habent, quia talem (ni fallor) illis præferri consuetum erat, immo quòd tertiò decussetur, id quam supra retulimus sententiam confirmat, cum scilicet dicebamus, accessionem secundæ lineæ in transuersum ductæ ad eundem stipitē, celsiorem illius, cui Crux eiusmodi præfertur, potestatē præmonstrare. Quam ob causam forte sacra thiara, quæ solius Romani Pontificis caput exornat, singulari prærogatiua ex triplici corona conflatur.

Dubitatio.

Solutio.

Thiara.

Sed

Sed si hæc solutio quæstionis alicui non probatur, sicut nobis etiam vix persuaderi potest, vt credamus, Maiores nostros alioqui sacrarum ceremoniarum tenacissimos, ab illo ritu (si apud illos vmquam viguit) aliquando recessisse: accipiat hanc alteram propositæ dubitationis solutionem.

Licet varia ista Crucis constructio reperta fuerit ad significandum inter Patriarchas, & Archiepiscopos eminentiæ, dignitatisq. discrimen; negamus tamen eandem fuisse necessariam ad ostendendam supremæ Pontificiæ potestatis dissimilitudinem: non enim vno signo tantum præfulget huiusmodi Pontificis maiestas, auctoritas, dignitas; sed plurima sunt, eaq. propria insignia, quibus supereminentissima omnium Apostolica sedes a quibuscumque alijs tam Patriarchalibus, quàm Archiepiscopalibus distinguitur; Huiusmodi sunt binæ claues decussatæ: sacra thiara triplici (vt diximus) corona, pulchro ac mystico artificio redimita. Varia præterea indumenta solius summi Pontificis propria, siue domi ille se contineat, siue in publicum prodeat. Quòd si iter agat, mittimus diuersa, pulcherrimaq. vexilla, phaleratos equos pileos pretiosos, & alia, quæ Pontificem solemni cum apparatu incedentem iuxta sacrorum rituum leges antecedunt: & inter cetera illud eò admirabilius est, quo minus frequenter est in vsu, quòd videlicet Papæ ab Vrbe paulo longius proficiscenti, sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum præfertur, loco inter Crucem, & Papam medio, idq. cum solemnissima pompa, religiosissimoq. comitatu: Ita vero Pontifici est hoc proprium, & peculiare, vt nulli vmquam Antistiti fuerit indultum. Cum igitur cælesti ac diuino hoc indicio omnium superexcelsa Romani Pontificis dignitas mirum in modum declaretur, non opus fuit, Crucis formam aliam, quàm communem, instituere.

Solutio dubitationis altera.

Thiara sacra.

Ritus, qui summo tãtum Pontifici conuenit.

Accedit præterea quòd Romano Pontifici, vbicumque fuerit, Crucis vexillum perpetuo præferri debet; ceteri vero omnes, quicumque illi sint, etiam Legati de latere, vbi Christi Vicarius adest, Crucem seponunt, neque ante se gestari patiuntur, vt hac etiam ratione debitum se illi obsequium & reuerentiam præstare declarent.

LIBRI SECVNDI FINIS.






Liber Tertius

Quas ob causas Crux præferatur Romano Pontifici in publicum prodeunti.



Quinque causæ de Cruce Romano Pontifici præferenda.

Cap. I.



ET si multo studio ac labore apud antiquos Patres, certas & expressas causas conquisiuerimus, cur Crux præferatur summo Pontifici, hactenus tamen eas non inuenimus. Verum quia ritũ hunc plurimis, grauissimisq. de causis putamus institutum, præclare in illum ea conuenire censemus, quæ Iuo Carnotensis Episcopus de erectione sanctissimæ Crucis, atque alijs institutis egregie scripsit his verbis: *Consuetudo Ecclesiastica multas ex rebus gestis continet consuetudines, quibus & rerum gestarum repræsentat veritatem, & simplicium corda excitat ad pietatem, vt per ea, quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Quare fit, vt & ad recordationem Dominicæ passionis in Ecclesia Cruces erigamus: & tempore Ascensionis vexilla triumphum Christi significantia in eminentiori loco Ecclesiæ, tamquam in arcu triumphali sublimamus: quod Sanctorum miracula, vel martyria picturæ imaginatione recordamur.* Proinde pro ingenij nostri tenuitate dabimus operam, vt causas, quas coniectura

Serm. de Purific. B. Virginis Mariæ.

ſaltem animo concepimus, vti veriſimiliores, ac pietati magis conſentaneas, in medium afferamus. Ante omnia autem ſtatuendum a nobis eſt, Crucem, vt fidelium oculis facilius obijceretur, in ſublime tolli conſueuiſſe, non ea ſolum ratione, vt potiſſimum paſſionis, & necis Chriſti Domini perpetuo memores eſſemus (prout Iuo teſtatus eſt) verumetiam, vt in eiuſdem Domini fide, qua illum Cruci vere affixum fuiſſe profitemur, magis ac magis confirmaremur, atque muniremur, contra hæreticorum impios conatus, qui hanc veritatem infirmare, eiusq. virtutem labefactare totis

Iren. li. 1. cap. 28. Epiph. hęreſ. 21.

viribus nituntur, ſicuti fuerunt, teſte Irenæo, & Epiphanio, omnium primi Simoniani, quos (vt Auguſtinus, & ceteri teſtantur, qui de hæreſibus commentarios ediderūt) ſecuti ſunt Baſilidiani, Marcitæ, & alij Simonis Magi hæreſiarcharum principis ſectatores: Hi

Lib. citato hæreſ. 14. Euſeb. li. 4. hiſt. Eccleſ. c. 8.

Chriſtum non vere, ſed vt eiuſdem ſancti P. Auguſtini verbo vtar, *putatiue* paſſum fuiſſe aſſeuerare non erubuerunt: & Baſilidiani addebant, non Chriſtum, ſed Simonem Cyrenæum, qui angariatus ſuſtulit Crucem Domini, fuiſſe crucifixum. Contra hos Paulum Apoſtolum, in ea, quam ad Philippēſes dedit, epiſtola, acerrime inuehi putamus, quos inimicos Crucis Chriſti appellat, ac proinde in eadem Epiſtola tam exacte Chri-

Philip. 3

ſti in Cruce mortem deſcripſit, dicens: *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et in alijs præterea Epiſtolis nihil aliud ſe ſcire aut prædicare profitetur niſi Ieſum Chriſtum, & illum quidem Crucifixum.

Ignatius epiſt. 5.

Quos ſugillabat Ignatius ad Trallianos ita ſcribens: *Si ſurculi non fuiſſent patris* (Diaboli videlicet) *non fuiſſent hoſtes Crucis Chriſti, ſed eorum, qui occiderunt Dominum gloriæ. Nunc vero, cum Crucem negent, & illos paſsionis pudeat, tegunt Iudæorum ſcelus.* Sed hoc ipſum in ſua ad Phi-

Epiſt. 3.

lippenſes Epiſtola magis aperte declarat, magisq. confirmat eo loco, vbi legitur: *Princeps enim huius mundi gaudet, cum quis Crucem negarit: cognoſcit enim Crucis confeſ-*

ſionem

sionem suum esse exitium, id enim trophaeum est contra illius potentiam, quod (vt in priori etiam libro retulimus) *vbi viderit, horret, & audiens timet*. Sed quid est, vt optime aduertit pius admodum & Ecclesiasticarum historiarum in primis eruditus Cæsar Baronius, cuius verba referre non pigebit: *Quid est* (inquam) *quod ait: vbi viderit, horret, nisi quòd tunc Crucis vexilla erigi solita significat?* En igitur, vnde ductum est principium, cur ad exemplum Crucis, in qua passus est Christus, aliæ Cruces erigerentur in titulum, quas fideles venerarentur, & diabolus exhorresceret. Annal. Eccles. anno Christi 60. a princip.

Nunc igitur ad causas, ob quas circumferuntur Cruces, tandem accedentes; illud primo statuimus, omnes causas, quas complexi sumus in Libello de gestatione sanctissimi Corporis Christi coram Romano Pontifice procul ab vrbe iter faciente, omnes (inquam) præter primam, quæ est, vt habeatur in promptu sacrosanctæ Eucharistiæ viaticum, huic quoque parti apposite conuenire, & aptissime accommodari posse. Sunt autem quæ proxime sequuntur.

Prima, ad fidem in Christum propter nos redimendos, & saluandos Crucis affixum, absque rubore, & intrepide profitendam.

Secunda, ad illius, cui præfertur, ardentem amorem erga Crucem, & peracta in ea nostræ salutis mysteria, indicandum, ac manifestandum.

Tertia, ad Papæ, & vniuersi Papæ comitatus a cunctis periculis tutelam, ac protectionem.

Quarta, ad illos, qui eam sequuntur, & comitantur, a peccatis cohibendos, & ad Crucifixi imitationem monendos.

Postrema, ad Papæ supremam omnium dignitatem ac potestatem declarandam, cunctorumq. fidelium oculis proponendam.

Crux

Crux præfertur ad fidem in Dei Filium Crucifixum protestandam, & tam illius, cui præfertur, quàm illorum, qui ei occurrunt fidem, religionemq. detegendam.

CAP. II.

PRIMA causa Crucis non solum summo Pontifici, sed & quibuscumque alijs Christianis præferendæ, est, vt sacrum illud signum tamquam omnium Christi militum præcipuum vexillum, ea, qua debemus, reuerentia prosequamur, & sub illo conuenientes, & post illud incedentes, Iesu Christi Nazareni Crucifixi fidem profiteamur, & in eius Cruce nos gloriari palam, & intrepide protestemur.

Est enim hoc primum symbolum externum, quo insigniuntur, & designantur, quicumque Christi fidē amplectuntur. Et quemadmodū charitas, beatissimo P. Augustino teste, intus in anima distinguit inter filios regni, & diaboli, ita Crucis signaculum in corpore innotescere facit fideles ab infidelibus, quibus Crucis prædicatio vel scandalum est, vel stultitia, dicente Apostolo: *Nos prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Dei virtutem atque sapientiam.* In quam sententiam a beato Athanasio Crux appellata fuit tessera. Inquit enim: *Iam in spectaculo virorum, mulierum, puerorumq. in tenera ætate recta contendentium, prosilientiumq. in mortem, idq. ob Christi religionem; quis ita est stolidus? quis ita est a credendo alienus? quis ita animo obcæcatus, vt non statim cogitet Christum haud dubie, cui illi se testes præbent homines, singulis victoriam contra mortem suppeditare, illamq. debilitare in vnoquoque eorum, qui in ipsum credunt, ac tesseram,*

Tract. 5. in epist. Ioan.

1. Cor. 1.

Serm. de incarnat. Verbi.

ram,

ram, vexillumq. Crucis circumferunt? Teſſera vero ſignum eſt, quo amici ab hoſtibus, & vetus hoſpes ab extraneo dignoſcebantur: vnde teſſeræ militares, & hoſpitales apud Latinos auctores nomen acceperunt. Quod quàm apte Crucis vexillo conueniat, non minus clare, quàm pie explicauit Ioannes Damaſcenus, cum ait: *Hoc nobis ſignum datum eſt ſuper frontem: per ipſum enim fideles ab infidelibus diſtamus, & diſcernimur.* De fid. orthod. li. 4. cap. 12.

Ab hac ſententia minime alienum eſt & id, quòd eodem teſſeræ nomine ſignificari etiam legitur ſignum populi Romani, quod affigi ſolebat in aliquo eminentiori loco Vrbis, vt comitia haberi poſſent, eo vero ſublato, ſtatim comitia ſoluebantur: Nãque ad huius exẽplum Crux Chriſtiani populi teſſera merito dicitur, ſine qua nec Eccleſiæ congregatio, nec popularis conuentus, nec aliqua iuſta, & legitima ſocietas congruenter initium ſumit, niſi prius Crucis ſignum credentium omnium frontibus præfigatur, nec populus ad pietatem erigi, nec fideles ab infidelibus diſiungi poſſunt. Hoc certe ſignum eſt Dei viui, quo ſignantur ſerui Dei. Hinc miſerrimi homines, qui Chriſti fidem impie deſerunt, ab eaq. turpiſſime deſciſcunt, ad id impietatis ſe induci permittunt, vt Crucis vel ab ipſis Angelis adorandum ſignum non tantum ſceleſto ore blaſphement, verum & pedibus (ò mira omnipotentis Dei patiẽtia!) conculcare non vereantur.

Ad hoc facit quod Hippolytus martyr, Antichriſti grauiſſimam in Chriſtianos perſecutionem deſcribens ea inualeſcente ait: *Cuncti ciborum penuria ad illum accedent, atque adorabunt eum; quibus dabit charactêrem in dextera manu & fronte, ne quis dextra ſua pretioſam illam Crucem pingat in fronte, ex quo tempore non poterit vllum ſignare membrorum ſuorum, & cet.* Lib. de cõſummat. ſæculi.

Hinc impijſſimus Iulianus Apoſtata Antichriſti prodromus & præuncius, Crucis vexillum, in quod fideliſſimus Imperator Conſtantinus Labarum (vt ſuperius

dictum

dictum est) præcipuum militare signum commutauerat, in priscum schema superstitionis transformauit, vt Crucis memoriam aboleret. De qua re ita scripsit Sozomenus: *Omnes autem omnino ad illam* (Græcorum scilicet superstitionem) *profitendam, cum re vera assuefacere conaretur, illud, quod in signis militaribus Romanorum principem locum obtinebat, quodq. Constantinus diuino mandato, vti supra commemoratum est, in insigne Crucis commutauerat, ad veterem effigiem & figuram traducere decreuit.* Hæc Sozomenus, a Nicephoro postea hist. Eccl. suæ lib. 10. & cap.23. repetita.

Lib. 5. cap. 16.

Hanc Iuliani impietatem Ioan. Belethus his verbis commemorauit: *Iulianus signa Crucis vbique destruxit, & Christianos quantum potuit persequutus est: credens aliter fieri non posse, vt sibi dæmones obtemperarent. Quare etiam Iudam modo appellatum Quiriacum interfecit, per quem Crux fuerat inuenta, & qui crederet, se rem gratam facturum diabolo, quem de hoc Martyre dixisse ferunt: Per Iudam Christus morti traditus est: & per hunc Iudam Christus mortuus exaltatus est.* Itaque si salutarem Crucem abominari, ac illam longe a se pellere est certum argumentum infidelitatis eorum, qui ita erga illam se gerunt: e contra firmæ & constantissimæ illorum in Crucifixum fidei efficacissimum erit argumentum, qui Crucem sibi semper præferri, & ante oculos habere volunt.

De diu. off. c. 25.

Perpetua Crucis in itinere prælatio ante summum Pontificem ardentissimum ipsius erga illam studium demonstrat.

CAP. III.

QVEMADMODVM ex eo quòd summo Pontifici Crucis Dominicæ signum præfertur, eiusdẽ summi Pontificis (vt dictum est) erga Crucifixum fides demon-

monſtratur: Ita ex illius tam frequenti vſu, in Eccleſia, foris, in itinere ipſo manifeſtiſſime declaratur eiuſdē ſtudium ac pietas erga præſtantiſſimum Redemptoris trophæum: quaſi illius deliciæ vnæ ſint ſemper eſſe ac verſari cum ſalutari, ac viuifica Domini ſui Cruce. Quòd ſi magni Conſtātini non modo in Chriſtum Crucifixum fides, ſed admirabile etiam ſtudiū, atque propenſa deuotio erga triumphale illius ſignū ex eo emicuit, & quòd Crucem ex auro puriſſimo fabricarit, gēmisq. pretioſiſſimis exornarit: quòdq. eam a caſtris, & ab exercitu ſuo abeſſe numquam pateretur, vt ſic ipſam intueri ſemper & digne pro viribus venerari poſſet: Quāta, quæſo, cuiuſque vere fidelis erga Dominicā Crucem deuotio, quantuſve animi affectus conijci, & cognoſci poteſt, ſi a Crucis conſpectu numquā ſe retrahat; & non modo internis animi luminibus Crucis myſteria aſſidue meditetur, verumetiam corporis oculos intendat in illud Redemptionis noſtræ ſingulare monimentum, illius præſentia vehementer delectetur? eiusq. aſpectu inexplicabili delectatione perfruatur? Hæc autem inſpectio ſi interiori ſpiritus viſioni coniuncta fuerit, quantæ ſit virtutis, & quàm potenter foris in ipſa etiam (ſed pro modulo ſuo) carne & corpore operetur (vt nunc de beatiſſimo Andrea Apoſtolo taceam, qui quanta perfuſus fuerit animi lætitia ex Crucis ad atrociſſimam mortem ſibi paratæ inſpectione, manifeſtiſſime declarant gaudij & exultationis plena verba, quibus illam ſtatim ac eam vidit a longe ſalutauit, vt ſe ſuſcipere non grauaretur, humili prece poſtulauit) teſtantur ſtigmata, quæ in manibus, pedibus, & latere ſancti Franciſci coram ſacra Crucifixi imagine toto cordis affectu orantis diuino ſtylo mirabiliter impreſſa fuere. Teſtantur & paſſionis Domini myſteria in carneo corde beatæ Claræ virginis de Mōtefalcone Eremitanæ S. P. Auguſtini familiæ ſingularis ornamenti, diuinitus inſculpta, & efformata. Ex his & alijs, a quorum commemoratione conſultò ſuper-

S. Andreas.

Apud Sur. in vita S. Franciſci die 4. Octob.

ſedemus, conſimilibus exemplis admirabilium effe-ctuum, quos in diuerſis vtriuſque ſexus fidelibus, qui oculorum ſuorum acies in Dominicam Crucem ſingulari ſtudio intendere ſolebant, Deum pro ſua benignitate operatũ fuiſſe a fidedignis Scriptoribus accepimus; ſatis conſtare poteſt, quòd Crux inſignioribus Eccleſiæ Hierarchis prælata, primo excellentem quandã eorum erga ſacrum militiæ Chriſtianæ vexillum pietatẽ (quod oſtendere propoſueramus) ac dilectionẽ indicat: Deinde quibus pie oculos tollere ac figere in Crucẽ ita prælatam contigit, eos miro quodam modo ad Chriſtum crucifixum toto corde, totisq. viribus diligendũ accendi, & inflammari. Nemo enim eſt eorum, qui Chriſti nomine digni meritò cenſentur, cui ad primum Crucis intuitum, Crucifixi, qui nos per eam redemit, memoria ſtatim non refricetur, eosq. beneficiorum ab illo acceptorum non ſubeat recordatio; quibus interne commotus, mox coram illa genuflectat, vel ſaltem humillime inclinatus, caput demittat, gratiq. animi ſui, pro acceptis donis, ſigna præſeferat, & ad alia, quæ commemorauimus, promerenda, dignus efficiatur: Hanc enim ob cauſam, Crucem non modo circumferri, verum etiam in templorum editionibus nobilioribusq. locis, & vbique ſtatui, omnibus conſtat. *Quòd ſi dæmones* (vt Cyrillus Hieroſolymitanus ait) *quandocũque Crucem viderint, recordantur Crucifixi, vt pote qui metuunt eum, qui contriuit capita draconis in aquis, quæ ex Chriſti latere effluxerunt:* quanto magis Crucis aſpectu, eiuſdem Crucifixi memores eſſe debent Chriſtiani, & proinde gaudij, ſtudij, gratiq. animi affectum, & ſpei plenam ſignificationem exhibere? Si Romani milites vbi primum Labarum ſuſpiciebãt, ſupplices illud adorabant, ſibiq. ac ducibus bene ominabãtur, & precabãtur, quòd eo præcedente, exteras gentes debellaſſent: quanto magis nos Chriſtiani, toto animi ſtudio erga inuictiſſimum Crucis ſignum affici, & quolibet honoris, & reuerentiæ genere

Cath. 13.

genere cæleſtis Imperatoris noſtri victoriarum glorioſiſſimum trophæum proſequi debemus, quo muniti ac protecti hoſtium conatus debilitamus, ac frangimus, eorumq. acies vti mox indicabimus, profligamus, ac proſternimus? Quare ſatis nunc ſit demonſtraſſe validiſſimum eſſe argumentum ad conuincendum, quempiam grandi ac vehementi dilectionis ſtudio Crucis teneri, ſi idem frequenti Dominicæ Crucis inſpectione delectetur. In ſummis Romanis Pontificibus recenſendis nō eſt quòd ſim plurimus: teſtantur enim id auguſtiſſima templa, & ſacræ Aræ Cruci dicatæ, Cruces ſumma arte elaboratæ, ac pretioſiſſimis gemmis ornatæ. Declarant veterum monumenta Scriptorum, quorum lectione fideles edocti, aut inflammati prædicatione ad Crucem venerandam & colendam mirabiliter inuitantur, ſiue etiam adiguntur. Qui exempla requirit, conſulat Auctores, qui Pontificum vitas ſcripſerunt, præcipue Anaſtaſium bibliothecariũ, quorum nos dicta prætermimus hoc loco, quia propoſitæ materiæ ea non admodum neceſſaria putamus. Tantum eam hiſtoriam recenſebimus, quæ de Clemente VII. refertur, quia rem gratam nos arbitramur facturos ſaltem ijs, qui in Pontificij ſacrarij præfectura nobis erunt ſubrogandi, nam breui hac narratione, ſtatim de inæſtimabili eorum fidei & cuſtodiæ credito theſauro intelligent, quæ nobis poſt diuturnam inueſtigationem, & quidem animi lætitia inexplicabili innotuerunt. Eius autem hiſtoriæ auctor eſt Onuphrius Panuinius Veronenſis coeremita Auguſtinianus in opere manuſcripto de Baſilica Lateranenſi. Is, inquam, diligentiſſimus antiquitatis inueſtigator, dicti operis lib. 4. cap. 21. agens de Oratorio ſancti Laurentij Sancta Sanctorum nuncupato, ob innumeras & inſignes in eo adſeruatas reliquias (nam & ſanctiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ibi vſque ad Vrbani V. Pontificatum, capita cuſtodita fuerũt) refert in eo magnam ſanctiſſimæ Crucis

Clemens VII.

Onuphr. Panuin.

R. P. Alphonſus Ciac. tractat. de ſignis ſanctiſs. Crucis, c. 34.

Dominicæ partem aſſeruatam fuiſſe, quæ ſingulo quoque anno in die feſto Exaltationis ſanctæ Crucis efferebatur, & ſuper altare exculte ornatum ſimul cum alijs reliquijs locata primum a Pontifice & Cardinalibus, deinde ab vniuerſo populo adorabatur. Eius hiſtoriæ teſtes affert Venerabilem Bedam in lib. de temporum ratione, & Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Sergij Papæ; de quo Pontifice vterque narrat, quòd illam Crucis partem alibi inuentam in eo Oratorio repoſuit cuſtodiendam. Et in fine ſubdit hæc verba: *Hanc ſanctiſsimi ligni portionem excidio Vrbis ſub Clemente VII. a militibus aliquot theca argentea direpta, ablatam, Pontifex prodigioſe, & non ſine ope diuina recuperauit, & aurea, cryſtallinaq. Cruce incluſam in Palatio Vaticano ſeruari iuſsit.* Quòd autem ea ſit, quæ in ſacrario Pontificio aſſeruatur, atque in ſolemnioribus feſtiuitatibus in altari, quando ſummo Pontifice, & ſacro DD. Cardinalium Senatu præſentibus diuina officia perſoluuntur, locari eſt ſolita, haudquaquam dubitare permittunt qui tunc aderant, & hiſtoriam memorarunt oculati teſtes, & ipſa aurea & cryſtallina materia, ex qua confecta conſpicitur, & ipſius Clementis in eius, de qua agimus, theca impreſſum nomen.

Ad rem autem noſtram, a qua digreſſi ſumus, mihi plurimum facere videtur memorabile illud exemplum, quod ſanctæ memoriæ Carolus Borromæus Cardinalis S. Praxedis, vir ſpectatiſſimæ integritatis & ſanctitatis ætate noſtra, numquam Crucem ſuam Archiepiſcopalem, cum in ſuæ ditionis locis morabatur a ſe patiebatur auferri, quam & vigilans ante oculos, & dormiens ſupra caput apud lectum perpetuo retinebat.

Crux præfertur ad eorum, qui eam prosequuntur, tutelam.

CAP. IIII.

DE certiſſimo præſidio, atque ab vniuerſis periculis præſentanea tutela, quam experiuntur quotquot hoc ſalutari ſigno ſe fideliter muniunt, ac illius, qui per eam ſaluos nos fecit, opem intimo cordis affectu implorant, tam crebra, & omnibus paſſim notiſſima habētur teſtimonia, vt ſuperuacaneum videri poſſit in huius argumenti probatione immorari. Ad laudem igitur huius fortiſſimi propugnaculi, & ad noſtræ erga illud fiduciæ excitationem, pauca ex multis, & pene infinitis, quæ pro tertiæ huiuſmodi cauſæ explicatione & confirmatione adduci poſſent, afferemus. At quis pericula, quibus mortales omnes quolibet temporis momento expoſiti ſunt, dum in hac lacrymarum valle peregrinantur, enumerare valeat? quæ ſane nullo modo niſi Diuino protegente numine imbecillitas noſtra depellere, aut euitare poſſet: Cuncta nihilominus ad duo potiſſimum capita reuocari poſſunt, quæ huc ſpectant: nempe ad animæ, ſeu ſpiritus, & ad corporis damna: at quoniam bonorum ſpiritualium iactura lōgo interuallo ſuperat corporearum creaturarum detrimenta; a ſpiritualibus exordientes vnum vel alterum teſtem proferemus, quibus liquido conſtabit Crucis ſignaculum præſentaneum eſſe refugium ad arcenda effugandaq. pericula, quæ animarum quieti & ſaluti perniciofiſſime aduerſantur.

In ea, qua, vt ſupra diximus, Martialis nomine circumfertur Epiſtola, hæc habētur ad rem propoſitam in primis facientia: *Crux Domini, armaiura veſtra inuicta contra Satanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & angelicas inſidias* Ad Burdegalēſes cap. 8.

insidias peruersæ potestatis, sibi propinquare nullo modo sinens. Hoc solo signo cælestis victoria data est nobis, & per Crucem baptisma Dei sanctificatum est.

Alter testis est Origenes, qui illam Apostoli sententiam pertractans: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, Tanta est* (inquit) *vis Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, ita vt in ipsam mortem Christi intentus oculus mentis inspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed continuo ad eius præsentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.* Eidem sententiæ se tertio in loco subscribit, dum inquit: *Crux Iesu est omnium cupiditatum, donec eas deleueris, insectatio. Itaque beatus Apostolus, qui eas contriuerat, audebat dicere: Cum Christo crucifixus sum.*

Lib. 6. in cap. 6. ad Rom.

Gal. 2.

Ad grauissimorum huiusmodi testium dicta confirmanda accedit S. Patrocli exemplum, quod a Beato Gregorio Turonensi refertur his verbis: *Tentabatur is de reditu ad sæculum, sed angelica visione correptus est, his verbis: Desine ergo quærere mundum, ne pereas cum eo: & quod ibi inueneris, hoc tibi erit consolatio in peregrinatione tua; Ingressus igitur cellulam Oratorij inuenit tegulam fictilem, in qua signum Crucis Dominicæ erat impressum; agnoscensq. munus Diuinum, intellexit sibi ad omnia mundanæ peruersitatis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum.*

Protectionis autem indubiæ a corporis (vt ad alteram partem demonstrandam cito deueniamus) periculis ad signi Crucis præsentiam, tot occurrunt ex historijs, alijsq. Patrum scriptis testimonia, vt facile nobis no sit deliberare, a quo sumamus exordium: ne tamen plusquàm decet prolixiores simus, ex tam magna illorum multitudine, pauca nobis satis erit delibasse: Nam & aliqua superius, prout res exigebat, attulimus nostro instituto opportuna.

De vit. Constit. lib. 2. c. 7.

Primo igitur apud Eusebium de magno Constantino sic refertur: *Sicubi enim partem aliquam sui exercitus languentem cernebat, ibi illud salutare vexillum tamquam sub-*

sidium

ſidium ad victoriam obtinendam locari mandauit; cuius adiumentis extemplo parta eſt victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuere admodum confirmatæ. Quibus & hoc vere admirabile ſubijcit factum: *Cum in media belli dimicatione ingens forte fremitus, & turbatio repentina exercitum occuparet, ille, qui vexillum hoc portabat humeris, inter præliandum, primum præ formidine exhorreſcere cæpit, deinde alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. Poſtquam alter accepit, iſteq. fuit ex acie egreſſus, & extra vexilli præſidium locatus telo coniecto in ventre confoſſus eſt, morteq. ſopitus concidit. Atque vt iſte timiditatis & diffidentiæ pœnas luens ibi mortuus iacuit, ſic ille, qui ſalutare trophæum ſublime, & erectum portabat; omnino eius ſubſidio euaſit incolumis, adeo vt ſæpe cum tela frequentia ab hoſtibus in eum iacerentur, qui ipſum ferebat, ſaluus extiterit, & vexilli haſtile tela immiſſa exceperit.* Eodẽ lib. cap. 9.

Hanc admirabilem virtutem beatus Martinus ſibi egregie notam declarauit, quando Iuliano Cæſari ei probro adſcribenti, quòd non religionis gratia, ſed metu, quæ ſequenti die futura erat, militiam detrectaret, reſpondit: *Si hoc ignauiæ adſcribitur, non fidei; craſtina die ante aciem inermis aſtabo, & in nomine Domini Ieſu ſigno Crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.* Seuer. Sulpi. in vit. S. Martini apud Sur. die 11. Nouemb.

Sed quid opus eſt fidelium plura teſtimonia recenſere, cum ijs etiam, qui Chriſtianæ religioni aduerſantur, hoc ſignum ſua quo ſe manu munierant, præſentaneum fuerit contra dæmones propugnaculum, vt ſcribit Gregorius Magnus de Iudæo, & Nazianzenus de Iuliano Apoſtata, cuius nuper meminimus? Nazianzenus enim ita habet: *Vt autem egregium virum* (ſic ironice appellat Iulianum) *qui cum mago in ſubterraneas partes deſcenderat dæmones conſulturus prodeuntem terrores adoriri cæperunt, ac ſubinde plures, & formidoloſiores ſonos quoſdam inſuetos aiunt, tetroſq. odores, atque ignea ſpectra, ac neſcio quas nugas & deliramenta, re inopinata perculſus* (*harum enim* In Iulianũ orat. 1.

rerum

rerum studium sero amplexus fuerat) ad Crucem, vetusq. remedium confugit, eoq. se aduersus terrores consignat, & eum, quem persequebatur, in auxilium ascisscit. Et subdit: *Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores.* Et cui dubium? Nam id disertis verbis docet Origenes dicens: *Qui aurata capitolia non timent, Crucem timent.*

In diuers. hom. 3.

Magica quoque incantamenta Crucis virtute superata, ostendit idem Gregorius in vita sancti Cypriani martyris: quod etiam Epiphanius egregio testimonio confirmat: sed ne in re apertissima diutius immoremur, lectorem illuc reijcimus. Alter vero Gregorius non inferior sanctitate & doctrina, quàm potestate & auctoritate maximus, de Iudæo hæc habet: *Quadam die Iudæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens, Appiæ carpebat iter, qui ad Fundanum cliuum perueniens, cum iam diem aduesperascere cerneret, & quò declinare posset minime reperiret, iuxta Apollinis templum fuit, ibiq. se ad manendum contulit. Qui ipsum loci illius sacrilegium pertimescens, quamuis fidem Christi minime haberet, signo tamen Crucis se munire curauit. Nocte autem media ipso solitudinis pauore turbatus peruigil iacebat; & repente conspiciens vidit malignorum spirituum turbam quasi in obsequium cuiusdam potestatis præire, eum vero, qui ceteris præerat, in eiusdem gremio loci consedisse, cœpit singulorum spirituum obsequentium sibi causas, actusq. discutere, quatenus vnusquisque quantum nequitiæ gessisset, inueniret.* Et post pauca: *Cumq. Iudæus, qui aduenerat, hoc vigilans cerneret, ac magnæ formidinis anxietate palpitaret, ab eodem spiritu, qui cunctis illis obsequentibus præerat, iussum est, vt requirerent, quisnam esset ille, qui iacere in eodem templo præsumpsisset: Quem maligni spiritus pergentes, & subtilius intuentes, Crucis mysterio signatum viderunt, mirantesq. dixerunt: Væ væ, vas vacuum & signatum. Quibus hæc renunciantibus, cuncta illorum malignorum turba disparuit.* Concedatur nobis, vt illud adijciamus, quod ad rem nostram maxime facit, de Turcis a peste seruatis, quia Crucis signum sibi impresserant, licet in Crucifixum

Epiphan. to. 2. lib. 1. contra Ebionitas.

Dial. lib. 3. cap. 7.

omnis

omnis salutis auctorem minime crederent, de quibus hæc narrat Nicephorus: *Turcos, quos Chosdroes Constantinopolim miserat, stigmaticos liquato atramento Cruces in frontibus impressas Imperator* (Mauritius is erat) *habere videns interrogauit quanam gratia qua non colerent circumferrent signa. Illi grauem ante plures annos in Perside ex patria sua pestem coortam esse dixerunt, n qua cum multi mortales infecti interirent, Christianos quosdam, qui ibi fuere, hominibus, si hoc fecissent, saluti sua consulturos esse, regionemq. totam a lue tali intactam, liberamq. fore persuasisse. Idq. ita esse ab eis factum.* Quod licet Zonaras ab eis gestum scribat, ne fame perirent (nisi fortasse alterum sit, diuersumq. miraculum) satis tamen aperte ostenditur, Crucis virtutem in illo vel pestis, vel famis periculo, infidelibus fuisse salutarem.

Eccl.hist. lib. 18. cap.19.

Lib. Annalium in Mauritio.

Quare si tantum auxilij præsidijq. Crucis hostes infensissimi in eius signo positum experimento didicerunt, quid non protectionis ac tutelæ in omnibus periculis sperabunt qui se illius cultui totos addixerunt? quid non assequentur, si eiusdem auxilium fide ac pietate fulti deposcent? Hinc est, quòd Ecclesia fidei ac religionis matre nos docente, sæpissime repetimus: *Per signum Crucis, de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Itidemq. petimus, vt qui eiusdem sanctæ Crucis gaudent honore, diuina quoque protectione vbique gaudeant, illiusq. perpetuis subsidijs defendantur. Ad hoc salutare signum, vt conuertamur, & confugiamus, Deum precaturi pro cunctis mentis & corporis periculis procul pellendis, in primis hortatur Alcuinus Abbas hanc precationis formam præscribens & commendans: *Peccata nostra Domine, quibus impugnamur, virtute sanctæ Crucis expelle; & tua miseratione nos ab omni aduersitate defende. Per Dominum nostrum, & cet.*

In Missali Rom. in fest. sanctæ Crucis.

Tom. 2. Liturg. Latin. li. 3. per Pamel.

N *Miracula*

Miracula, quæ post mortem Christi per fideles suos operatus est Deus, omnia communiter signo Crucis adhibito facta fuere.

CAP. V.

LOCVS hic postularet, vt ad eorum, quæ diximus confirmationem, & sanctissimæ Crucis honorem miracula commemoremus; quæ singulis æuis signo Crucis edita fuere, vt testes sunt Auctores grauissimi. Verum quia id valde est arduum, & fieri nequit, & instituti nostri fines, immo humanarum virium terminos excedit, innumerabilium membrorum capita hac vna sententia summatim complectemur, si dicamus, post Christum Dominum nostrum in Cruce affixum, editam fuisse vera miracula, Crucis potentissimo signo, siue illa oleo, siue aqua, siue pane, seu aliqua planta, vel quocumque alio elemento, materiave adhibita, siue solis verbis, nulla accedente materia facta fuerint. Apud catholicos & pios viros, nulla id probatione, nullove argumento egere certum est, tamen ne id ex propria tantum sententia asserere videamur, id ipsum ex reuelatione olim diuinitus facta a Sozomeno relata comprobamus: *Accepi* (inquit) *porro Probianum vnum ex satellitibus, qui Imperatorem in palatio stipabant, cum dolore pedum grauiter affligaretur, in eo loco* (hoc est in templo, quod Michaelium dicebatur) *etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam ac diuina visione dignatum fuisse. Nam iste cum in initio Gentilis esset, postea tamen factus Christianus, quanquam omnia alia Religionis nostræ instituta probabilia putabat, sanctam tamen Crucem salutis omnium causam extitisse neutique admittere voluit. Cui sic animo affecto visio diuinitus oblata quandam Crucis effigiem, quæ in altari illius Ecclesiæ statui*

Hist. Eccles. lib. 2 c. 2. Hist. tripar. li. 1. cap. 3.

tui solet, ante oculos proposuit, declarauitq. manifesto, res, quæcumque a tempore, quo Christus in Crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, seu a diuinis Angelis, seu a pijs & perfectis hominibus gestæ fuerunt, non sine virtute Crucis salutaris recte gestas esse. Hæc Sozomenus: cuius quidem testimonium non est quòd quis minus validum existimet, quòd scilicet signi Crucis mentionē non faciat. Nullus est enim catholicus qui ignoret, diuinæ virtutis fidelibus communicandæ, haud vllum instrumentum, ministerium, actionemve vllam rectè, riteq. exerceri nisi Crucis signo. Quod forte vox illa, *recte*, ab Auctore interposita, significauit: Nam qui de hac apertissima veritate dubitaret, idem quoque in dubium reuocaret, sacramētum videlicet baptismi sine salutari signo administrandum, propterea quòd Dominus noster baptizandi præceptum ac formā tradens illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, de Crucis signo formando mentionem non fecit. At in primo libro satis superq. ostendimus, sine Crucis signo, neque baptismum, neque cetera sacramenta administrari solere: & sine illo (vt sanctus Cyprianus dicit) nihil esse sanctum, neque aliquam consecrationem mereri effectum. Tam certo igitur nobis persuademus, miracula omnia post Christi Ascensionem per fideles regulariter non nisi intercedente signo Crucis fuisse peracta, vt valde consonum veritati credamus, claudi illius ad speciosam portam templi sedere soliti curationem (id fuit primum per Apostolos post Domini ab eis recessum factum miraculum) haud quaquam absque signo Crucis verbis illis, *In nomine Iesu Christi Nazareni*, adhibito, peractam fuisse; & quòd, quæ illud deinceps subsequuta fuerunt, cum eiusdem signi interuentu facta fuerint, minime sit ambigendum. In quem sensum haud incommode accipi possunt illa Beati Patris Augustini verba: *Crucifixus noster a morte surrexit, & ca-*

Mat. vlt.

In lib. de Baptismo

Act. 3.

Serm. 19. de Sāctis.

los ascendit, Crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit, ad sanitatem. Et paulo post: *Hoc signum cursum nostrum dirigit; hoc ad agonem nos instruit: hoc in luctamine adiuuat: hoc ad victoriam euehit: hoc maleficia destruit: & omnium dæmonum machinamenta ad nihilum redigit*. Et re vera, si in testamento veteri, quo tempore Crux ad supplicium instituta, Moysis virgæ, quæ Crucis erat typus, tantum honoris, & efficaciæ tributum fuit, vt sine illa (vt explicat B. Pater Augustinus) Moyses nullum opus admirabile aggrederetur, quid mirum si Cruci post collatam super Regum & Pontificum coronas dignitatem & gloriam, non, inquam, ad ipsius tantum Dominicæ Crucis, verum & ad eius quoque signi, vel sola manu formati præsentiam, mirabilia quæque in Ecclesia Dei sortiantur effectum? Et de virga quidem hæc habet

Tom. 10. serm. de tep. 101. B. Pater Augustinus: *Ligni Crucis etiam vmbra, vel figura in veteri testamento plurimum valuerunt. Nullum Moyses signum sine ligni sacramento peregit: vt enim signa, & prodigia in Ægypto faceret, virgam accepit a Domino, & ad signa quæque diuinitus audiebatur, & dicebatur ei: Eleua virgam tuam. Non vtique Deus virga auxilio indigebat, sed erigebatur, vt scire possimus, quantum esset futuri ligni mysterium, cuius fuerat vmbra figuratum virga, illius sacramentum, & cet.* Inter

Euseb. de vit. Constãt. lib. 3. cap. 29. Sozom. li. 2. cap. 1. Niceph. hist. Eccl. li. 3. c. 29. Apud Sur. die 3. Aprilis. infinita vero mirabilia, quæ per sacrosanctum illud ipsum lignum facere dignatus est Deus, duo illa memorantur; quòd scilicet, mox ac Crux inuenta fuit, & (vt ita dicam) resuscitata & admota moribundæ mulieri, ac viro iam vita functo integram sanitatem subito restituerit. Et ex ijs, quæ ad Crucis adhuc integræ existentis, qualis videlicet, & quanta ab Helena inuenta fuit, & in rebus ab illa Cruce disiunctis facta fuerunt, bina hæc signa relata sint. Quæ sane paucis complecti studui, vt locus & tertio esset miraculo, quod in propria substantia illius partis, quæ Hierosolymæ relicta fuit, Deum operatum fuisse fide dignissimi Auctores litteris prodiderunt. Quod quidem eo libentius

adduco quòd hac narratione hæreticorum iniuriosa temeritas comprimitur & coercetur, qua catholicos populos subsannando perturbant, eisq. obijciunt, tot in templis & apud priuatos homines ligni Dominicæ Crucis partes ac fragmenta seruari, quæ in vnum collecta, & compaginata, non modo prægrandem & ingentem Crucem, verumetiam nauem non mediocrem constituerent, & componerent. Quorum plane improbitatem dissoluere facile possumus, si ad memoriam reuocauerimus historiam plane scitu dignam a beato Paulino Nolano diserte explicatam, qui in xj. ad Seuerum epistola post multa de Crucis sanctissimæ per Helenam inuentione hæc ait: *Cum Pascha Domini agitur adorandam populo princeps ipse venerantium promit: Neque præter hanc diem, qua Crucis ipsius mysterium celebratur, ipsaq. sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui ea tantum causa illo peregrinanti aduenerint, vt sibi eius reuelatio, quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur; quod solum Episcopi beneficio obtineri ferunt; cuius & tantum munere de eadem Cruce hac minuta sacri ligni ad magnam fidei & benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidem Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem.* Quod, si dum secatur, & inciditur, pati quodam modo videtur, vniuersum illud damnum in consummatione sæculi resarcietur, quando non lignis tantum, verum metallis, elementis, & omnibus, quæ ex illis componuntur corporibus igne combustis, & cunctis hominibus, vt non amplius intereant, resuscitatis, & ipsa Crux ministerio (vt opinamur) Angelorum rursum in vnum coëuntibus, quæ vbique locorum fuerint sacra-

Paulinus nō procul a fine.

Th. Vualden. to. 3. tit. 20. cap. 158.

sacratissimi ligni illius quantumvis minutissimis reli-
Mat.25. quijs ad pristinum statum reuocata, &,vt ita dicam,re-
Mat.24. suscitata, filio hominis cum potestate, & maiestate ad iudicandum viuos & mortuos venienti præferetur. De quibus profecto Crucis fragmentis loquebatur qui eorumdem fuerat distributor, S. scilicet Cyrillus Hierosolymitanus,cum dicebat: *Arguet me lignum Crucis, quod per particulas ex hoc loco per vniuersum orbem sparsum est.*

Cath.13.

Ne quis vero existimet Crucis virtutem faciendi miracula,desideratam, aut saltem imminutā fuisse in eius reliquijs & fragmētis per vniuersas fere orbis partes viritim distributis, alterum eiusdem Paulini testimonium accipiat,quo omnis dubitatio penitus tollitur. Id enim extat apud illum in natali sancti Felicis, hoc eleganti carmine descriptum:

Natali 10. ante medium.

Ipse domum remeans, modicum, sed grande saluti,
De Crucis æternæ sumptum mihi fragmine lignum
Promo, tenensq. manu aduersis procul ingero flammis
Vt clypeum retinens pro pectore, quo tegerem me,
Arceremq. hostem collato vmbone relisum
Credite, nec donate mihi, sed reddite Christo
Grates; & iustas date laudes Omnipotenti.
Nostra salus etenim in Cruce Christi, & nomine constat
Inde fides nobis, & in hac Cruce nixa periclo
Profuit, & nostram cognouit flamma salutem.
Nec mea vox, aut dextra illum, sed vis Crucis ignem
Terruit, inq. loco, de quo surrexerat ipso,
Vt circumseptam præscripto limite flammam
Sidere, & extingui fremitu moriente coëgit:
Et cinere exortam cineri remeare procellam.
Quanta Crucis virtus, vt se natura relinquat
Omnia ligna vorans, ligno Crucis vritur ignis,
Multa manus crebris tunc illa incendia vasis
Aspergens, largis cupiebat vincere lymphis.
Sed licet exhaustis pensarent fontibus imbres,
Vi maiore tamen, lassis spargentibus, omnem

Vice-

Vicerat ignis aquam, nos ligno extinximus ignem,
Quamq. aqua non poterat, vicit breuis hastula flammam.

De multiplici vero, & summa efficacia Crucis, solo dexteræ ductu formato, cuius causa longiuscule, non tamen ab re digressi sumus, fidem nobis faciat inter ceteros doctores Augustinus, qui in de Ciuitate Dei lib. 22. habet ita: *In Carthagine Innocentia religiosissima de primarijs ipsius ciuitatis in mamilla cancrum habebat, rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem: Aut ergo præscindi solet, & a corpore separari membrum, vbi nascitur: aut, vt aliquanto homo quietius viuat, fomentis est pestis mitiganda frequentibus. Nam vt inde mortem quantumlibet tardius affuturam confidamus, secundum Hippocratis, vt fertur, sententiam, omnis est omittenda curatio. Hoc illa a perito medico, & suæ domui familiarissimo acceperat; & ad solum Deum se orando conuerterat. Admonetur in somnis, appropinquante Pascha, vt in parte feminarum obseruanti ad baptisterium, quæcumque illi baptizata primitus occurrisset, eundem locum signaret signo Crucis Christi. Fecit, & confestim sanitas sequuta est.* Cap. 8.

Sed ne eorum, quæ omnino innumerabilia diximus, narrationē texere videamur, altero Sozomeni (hic enim sicut initium diuertēdi fuit, ita diuerticuli terminus esse debet) testimonio contenti erimus. Is enim de S. Donato Episcopo Euoreæ verba faciens sic ait: *Hac memoria multi multis in locis per orbem terrarum inter Episcopos præclari extiterunt, vt Donatus Euoreæ Epiri; quem & alia multa fecisse testantur indigenæ, & illud maxime, quod in draconis interfectione præstitit, qui in Chamægephyris, quas vocant, ad viam regiam lustrum habebat, & oues, & capras, & boues, & equos, necnon & homines, & alia rapiebat. Neque enim ille vel gladium, vel hastam ferens, vel aliud aliquod telum habens, hanc belluam adortus est; sed cum illa eum aduentantem sensisset, & caput velut impetum factura exeruisset, signum Crucis aduersus ipsam aeri digito inscripsit, & illi in faciem expuit. Illa sputo in os accepto, statim concidit: ac mortua* Eccl.hist. li.7. c.25.

tua iacens amplitudine non minor apparuit ijs serpentibus, qui visuntur apud Indos.

Quarta causa affertur, vt qui cum Pontifice iter faciunt, admoneantur a prauis operibus cauere, & bonis incumbere.

CAP. VI.

POSTREMO illud Apostolorum Principis documentum, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius*, nos admonet qualis conueniat esse vita, quæ morum integritas, & in verbis factisq. pietas, & sanctitas eorum, qui Crucis vexillum sequuntur, talis proculdubio, vt quoad fieri potest, virtutes, opera, & passionem Magistri, ac Imperatoris sui imitentur, nisi profugarum, ac proditorum turpissimam notam, & grauissimā pœnam subire velint: quibus profecto quemadmodum idem Apostolus ait: *Melius esset non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*. Summam vero eorum, in quibus tantum ducem & doctorem sequi, & cuius vestigia imitari nos oportet, subijciens inquit: *Vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus*, hoc est, vt praua facinora caueamus, & bonis ac sanctis operibus incumbamus.

1. Pet. 2.

2. Pet. 2.

1. Pet. 2.

Ad hæc enim duo breuissima capita referuntur, quæ supra B. idē Petrus explicauerat de exemplis Christi nobis ad imitandū propositi: nam ad mala fugienda pertinent quæ subiecit: *Qui peccatum non fecit, nec inuētus est dolus in ore eius*. Illa vero, *Tradebat autem iudicanti se iniuste*, spectant ad recte facta a nobis imitanda, & ad incommoda etiam a nobis patienter propter ipsum perferēda. Hanc vero sæpe memorati ritus causam vna cum superiore

riore illi proxima B. Ioannes Chryſoſt. his verbis complexus eſt: *Quando Cruce te ſignas* (hoc enim vnũ eſt cum eo, quod eſt Crucis ſignum prælatum ſequi) *vniuerſam tecum cauſam verte, & iræ ac reliquarum paſſionum incendia extingue.* Hæc quoad poſteriorẽ. Pro altera, quam diximus, tertiam, faciunt quæ mox ſubijciuntur: *Quando te Cruce ſignas, magna tuam frontẽ arma fiducia, libertate animũ munias.* Et poſt pauca infert: *Nam ſi hoc modo eam faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum, cum haſtam videat, qua letale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit.* His optime concordat illa Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini ſententia: *Hæc* (inquit) *omnia recordari nos facit ſalutare lignũ, & ſuadet vt cogitemus, quòd ſicut dicit D. Paulus: Vnus pro omnibus mortuus eſt, vt viuentes non vltra ſibi ipſis viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Nec ab hoc propoſito alienum eſt illud beati P. Auguſtini elegãs dictum: *Lignum illud, in quo erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magiſtri docentis.* Cui ſe ſubſcripſit magnus ille Pontifex Leo in hanc ſententiam loquens: *Crux Chriſti, quæ ſaluandis eſt impenſa mortalibus, & ſacramentum eſt & exemplum, quo deuotio excitetur humana.*

In Matt. hom. 55. — Cont. Iulian. li. 6. — 2. Cor. 5. — Tract. 119. in Ioan. — Serm. 2. de Reſur. Domini.

Nec ab hac ſententia diſſonat hiſtoria de Heraclio Imperatore, qui Crucem Dominicam e Perſarum poteſtate receptam, ad Caluariæ montem cum celeberrima pompa ſuper humeros ſuos reportauit, vt in Breuiario Romano narratur his verbis: *Crux quattuordecim annis poſtquam venerat in poteſtate Perſarum, recepta eſt, quam rediens Hieroſolymam Heraclius ſolemni celebritate ſuis humeris retulit in eum montem, quo eam Saluator tulerat. Quod factum illuſtri miraculo commendatum eſt. Nam Heraclius, vt erat auro & gemmis ornatus, inſiſtere coactus eſt in porta, quæ ad Caluariæ montem ducebat. Quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur. Cumq. ea de re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent, Zacharias Hieroſolymorum Antiſtes: Vide* (inquit) *Imperator, ne iſto triumphali ornatu in Cruce ferenda parum Ieſu Chriſti paupertatem, & hu-*

In feſto Exaltat. S. Crucis.

militatem imitere. Tum Heraclius abiecto amplissimo vestitu, detractisq. calceis, ac plebeo amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Caluariæ loco Crucem statuit, vnde fuerat a Persis asportata. Quo plane exemplo edocemur, in Crucis gestatione ac sequela, abijcere omnia terrena, vt post Christi vestigia incedamus. Quæ si dura, & aspera videntur, & nimis animo nostro molesta, leuiora & faciliora fiunt, si in Auctorem vitæ intendamus, qui pro nostra causa acerbitates omnes sustinuit. Ad quam rem

Heb. 12. hortabatur Apostolus, dicens: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta, atque in dextera Dei sedet: recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

Crux prælata indicat illius, cui præfertur præcipuam aliquam dignitatem.

CAP. VII.

Crucis prælatio cuinā cōueniat.

CRVCIS prælatio illius, cui præfertur, præcipuam quandam dignitatē, & insignem in alios potestatem demonstrat. Quod ex eo manifestissime comprobatur, quòd illis tantum præferri consueuit, qui in Ecclesia eminentiorem & excellētiorem habent gradum, & auctoritatem: cuiusmodi sunt Archiepiscopi, Patriarchæ, sedis Apostolicæ Legati, & summus Pōtifex: Nam Episcopis hoc tributū non est, nisi paucis, qui valde insignibus Ecclesijs præsunt. Quemadmodum enim Christianis omnibus commūne est seipsos Cruce signare, & solis Sacerdotibus in eorū, quos baptismi aqua ipsi purificāt, capite illam chrismate adhibito formare; ita Episcopis peculiare est illorum omnium, quos confirmant, frontem

tem cum eadem sacra vnctione signo Crucis munire. Item absconditam Crucem deferre, nulli ex fidelibus interdicitur. Minores Sacerdotes sacrum facientes eiusmodi figuram ex orario, seu stola ad pectus formare debent. Episcopi vero dum diuina faciunt officia, Crucem Sanctorum reliquijs refertam a collo pendentem, vt supra quoque meminimus, habere tenentur. Ita Archiepiscopis, qui alijs Præsulibus supereminent, & aliorum duces sunt, vicemq. sedis Apostolicæ in prouincijs sibi subiectis gerunt, præter illam ad pectus appensam, alia quoque Crux per Clericum præferri debet, quoties in publicum prodeunt. Cuius non omnino dissimilem morem in Romana Republica olim seruari solitum legimus. Nam Proconsulibus sex fasces, Consulibus duodecim, Dictatori vero vigintiquattuor, quot videlicet vtrique Consuli, quorum ipse potestatem omnem solus obtinebat, præferebantur. Semper enim tam apud fideles, quàm infideles viguit ea consuetudo, vt qui eminentiori dignitate præstarent, pluribus & nobilioribus, magisq. conspicuis insignibus vterentur. Quòd autem qui altiores in Dei Ecclesia gradus, & honores gerunt, multiplici & insigniori vsu Crucis distingui, & exornari debeant, non credo aliquem eius rei latere causam. Cum enim Crux, vt infra ostendemus, sit proprium Christi insigne, propterea omnes, singulasq. militum Christi dignitates ac munera per Crucis signum hac vel illa ratione repræsentatum, vel exornatũ seu gestatum distingui, & ex eo varios inter se gradus, & multiplicem ordinem metiri, nemini mirum videri existimo, atque istud merito, cum ex Crucis profundissima humilitate ipsius etiam cælestis Pontificis, & Imperatoris nostri super quascumque creaturas exaltatio, initium, ac originem habuerit. Quemadmodum Petrus Abbas Cluniacensis egregie explicauit his verbis: *Qui Crucem odiunt, quia Dominum tersit, diligant eam, quia non solum nobis, sed & ipsi gloriam peperit*. Peperit ei gloriam, de qua

Mos Romanorũ Magistratuum.

Crux propriũ Christi insigne.

Lib. 1. Epist.

 ait

Hebr. 2. ait Apostolus: *Vidimus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Peperit* (inquam) *Crux Crucifixo glo-*
Phil. 2. *riam*, vt alibi idem Apostolus ait: *Quia factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terre-*
Homini idest humanæ naturæ assumptæ. *strium, & infernorum; quia hanc gloriam huiusmodi homini a Deo assumpto peperit, & nobis insuper vitam & gloriam æternam contulit, gloriosa esse promeruit.* Hanc ob causam ipse Dominus suam in Crucis patibulo obeũdam mortem,
Ioan. 3. exaltationem appellabat, dicens: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Et
Ioan. 8. apertius: *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis*
Ioan. 12. *quia ego sum.* Item: *Et ego cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Propterea excellentissime dixit bea-
Orat. 157 tus Athanasius: *Gloria, & honor Christi Crux est, quia innumera dona per Crucem contigere; cõculcata namque est mors, in exilium relegata maledictio, infernus cessit in prædam: peccatum est abolitum, transgressio sublata, natura hominum ab affectuum seruitute liberata, Diabolus est ligatus, plantata est salus, resurrectio est patefacta, malitia est abacta, vita est orta, idolatria dissoluta.* Hæc Athanasius. Ioannes autẽ Chry-
Hom. 55. in Matth. sostomus dicebat: *Gloria nostra, caput & origo beatitudinis, libertas & corona, Crux.* Quare si tam honorificum, nobile & gloriosum: si tam potens, ac salutare est Crucis viuificæ insigne, totq. ac tanta per illud operatus est omnipotens Deus, vt eius vi non tantum membra reddiderit nobilia, & illustria, verumetiam ipsum caput nostrum, Dei & hominis Filium supra omnem principatum & potestatem extulerit: quis admirabitur, si eam significet ac testetur dignitatem, quæ ab ipsomet Christo originem duxit, & illa præter ceteros decorentur, & ornentur, qui eam non domi solum, sed etiam foris ob oculos semper habent, & in publicum exeuntibus, Crux ipsa numquam non præfertur?

Omnes præferendæ Crucis prius enumeratæ causæ Romano eidemq. summo Pontifici conueniunt.

CAP. VIII.

SI Crucis venerabile signum metropolitano solemni ritu prælatum, non modo illum Christianum esse indicat, & fidei catholicæ magistrum, prædicatorem ac propugnatorem, sed etiam vehementem ipsius erga illam affectum & propensionem, ac in eum, qui pro nobis in ea pendere ac mori voluit, ardentem charitatem ostendit: si triumphalis, ac inuicti eiusmodi vexilli præsentia tantopere valet ad pericula omnia, quæ imminerent, propulsanda: si ex sacratissimi huiusmodi vexilli perpetuo aspectu admonentur vniuersi quotquot illud prosequuntur, vt non corporis tantum, sed & animæ gressibus post Crucem incedant: hoc est Christi, ducis ac præceptoris nostri, qui per eam ineffabilia, incomprehensibiliaq. beneficia nobis contulit, vestigia sequãtur, & sancta exempla imitentur: denique si eum, cui Crucis vexillum præfertur, singulari aliqua dignitate conspicuum esse declarat: quis non agnoscet dum eiusmodi sacrum signum Romano Pontifici præfertur, omnes has causas illi conuenire? Et tanto æquiori potioriq. iure Episcopo conuenit Romano quàm ceteris, quanto illius dignitas, iurisdictio, ac maiestas Archiepiscopalẽ, Patriarchalẽ, & quamcumque aliam potestatem longo interuallo antecedit? Quod eo certius asseuerãdum est, quo dum Crux summo Pontifici præfertur, Christianæ, orthodoxæ, & catholicæ fidei quasi quædam protestatio fit, qua plane cognoscimus Romanum Pontificem omnium, quæ a cunctis fidelibus sub æternæ mortis interminatione necessario credenda sunt, quemadmodum etiam in opusculo de præferendo eidem Pontifici sanctissimo

Crucis vexillũ qd præstet.

Crucis vexillũ cur magis sũmo Pontifici, quàm ceteris cõueniat.

ctiſſimo Chriſti corpore explicauimus, magiſtrum certiſſimum & fideliſſimum præceptorem ab ipſo Domino noſtro fidei Auctore, & Eccleſiæ fundatore, datum fuiſſe: cum ipſe ſolus in vniuerſa Eccleſia eo ſingulari priuilegio donatus, ac munitus ſit, vt in rebus fidei decernendis numquam errare poſſit. Illius enim ſedem & auctoritatē habet, pro quo illiusq. ſucceſſoribus omnibus ipſa veritas ſe oraſſe teſtata eſt, ne fides ipſius aliquando deficeret, vt fratres ac filios & ſibi ſubiectos vniuerſos in catholica doctrina confirmare valeret.

Luc. 22.

Inconcuſſo igitur hoc fundamento innixi dicimus, Crucis ſignum ſummo Pontifici in publicum prodeunti præferri, non ſolum vt Chriſti Crucifixi fidem ſe conſtantiſſime tenere proteſtetur, verumetiam vt omnes illud intuentes admoneantur, tunc ſe fideles catholicosq. Chriſtianos vere probari, cum ea de Chriſto firmiſſime credunt, ac ſine vlla hæſitatione confitentur, quæ Papa Chriſti Vicarius credit, docet, & verbo, ſcripto, ac opere palam profitetur. Hanc ſane rationem ex ſe valde veriſimilem longe probabiliorem facit exēplum Conſtantini Magni, quem inter ceteros eius hiſtoriæ narratores ſcribit Sozomenus, Crucis vexillum ſibi in caſtris præferri iuſſiſſe, vt ex aſſiduo illius aſpectu, & cultu, ſibi ſubiectos paulatim a patrijs ritibus remoueret, eumq. ſolum Deum exiſtimarent, quem ipſe coleret. De quo hæc ad Saporem Perſarum regem eumdem Conſtantinum ſcripſiſſe refert Caſſiodorus: *Hunc Deum colo, cuius ſignum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris*. Quis enim fidelis non facile crediderit, quid ſimile excogitatum, & quoad per idolatrarum Principum perſecutiones licebat executioni mandatum fuiſſe, nedum a beatiſſimo Siluestro, verum & ab ijs, qui illum præceſſerunt Romanis Pontificibus, quorum ſtudium totum in eo erat, vt Principes ac populos, vniuerſasq. mundi nationes docerent, ac inſtruerent, illum ſolum eſſe verum Deum, cui, & in quem ipſi crederent, eamq.

Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 4.

Hiſt. tripart. li. 3. cap. 3.

ſolam

ſolam eſſe ad veram ac æternam felicitatē viam, quam ipſi verbo prædicarent, & exemplo calcarent. Quæ cum in Dominica Cruce quaſi in ſpeculo, vel potius epilogo contineantur & repræſententur, iure merito illam ſibi ob dictam cauſam præferri mandauerint, qui ætatem noſtram præceſſerunt Romani Epiſcopi, idipſumq. faciant, ſintq. facturi, & ſeruaturi, qui in ſede beati Petri ſedebunt ſummi Pontifices. Quid in Cruce Dominica repręſentetur.

Crucis vexillum præfertur Papæ ad ſupremam ipſius in terris dignitatem ac poteſtatem indicandam.

CAP. IX.

VT liquido conſtet Romano Pontifici ſingulari ac præcipua ratione conuenire, vt ei Crucis trophæum præferatur, tria breuibus perſtringemus. Primum Eccleſiæ Romanæ dignitatem omnium ſupremam certo proprioq. inſigni exprimi ac notari oportere. Deinde inueſtigandum eſt, quod, qualeve ſit illud inſigne. Poſtremo loco demonſtrandum, Dominicæ Crucis ſignum Apoſtolicæ ſedi, Romanoq. Pontifici proprie aptiſſimeq. conuenire. Primum, cum modica, vt nobis videtur, probatione indigeat, facile perſuaderi poteſt. Nemo enim eſt, qui non videat, iamdiu apud omnes vniuerſi orbis nationes inoleuiſſe, vt quemadmodum ſinguli homines proprio nomine nuncupantur, ita quoque ſingulas familias, collegia, pene omnia oppida, ciuitates, populos, prouincias, & regna præter cognomina gentilitia ad ea a maioribus deriuata, vel vt occaſio tulit, ſibi recenter aſſumpta, habere conſueuiſſe certa quædam, propriaq. ſigna, per quæ a ceteris collegijs, ſeu populis ſecernerentur, ac diſtinguerentur, Dominicę Crucis vexillum cuinā cōueniat.

rentur, distinctaq. omnibus innotescerent. Quod cum non modo apud laicos, verumetiam apud clericos in vsu palam positum sit, non est quòd in re manifestissima comprobanda immoremur. Illud tamen non prætermittendum existimaui, quòd cum eiusmodi signa multiplicia sint, omnia tamen ad duo tantum capita commode referri possunt: Nam eorum aliqua Prælatis, Principibusq. ipsis, qui Vniuersitatibus præfecti sunt, non nisi ab eorum ministris præferuntur, verbi gratia, clauæ argenteæ vel aureæ, quæ Cardinalibus, & ipsi quoque Papæ præferri solent: alia vero sunt, quæ vt plurimum ab ipsis Dominis gestantur, licet eorum aliqua ab alijs quandoque eisdem præferri, contingat. Huius generis inter cetera sunt, quæ Dominos in publicum prodituros sæpe induere mos est, vt eorum caput, manus, vel pedes, aut vniuersus denique habitus corporis exornetur: qualia erant olim apud Romanos Latusclauus proprium Senatorum indumentum: Palmata vestis, quam soli Consules induebant: Lunulæ, quæ pedes nobilium decorabant: Sceptrum ac diadema, quæ apud quoscumque populos semper fuerunt Regum propria ornamenta, quemadmodum & apud fideles in Ecclesiastica militia Manipulus vt a minimis exordiar, & Tunicella Subdiaconalem: Stola & Dalmatica Diaconalem; Planeta extensa Sacerdotalem; Sandalia, Crux pectoralis, Chirothecæ, Annulus, Mitra, & Baculus Episcopalem, Pallium Archiepiscopalem; Galerus, & purpura Cardinalitiam significant dignitatem. Ex eorum autem numero, quæ semper ab alijs præferri, & numquam ab ipsisinet Principibus, & Magistratum gerentibus deferri consueuerunt: erant apud eosdem Romanos fasces securibus alligati, qui Proconsulibus, Consulibus, & Dictatori, vt proxime dictum est, senario, vel duodenario, seu viceno, & quaternario numero præferebantur pro illorum maiori, vel minori potestate, vel auctoritate: nam duplicatus

Mos Romanorũ Magistratuum.

Latusclauus erat tunica purpura prætexta vulgari latior.

tus fascium numerus duplicatam potestatem & auctoritatem indicabat. Ignis etiam prælatus, quemadmodum & Labarum in castris Augustalem & Imperatoriam dignitatem, supremumq. Imperium significabant. Sicut & Vexilla pro illorum diuersa ratione: hæc equitum, illa peditum agmina, necnon ea ducentium maiorem vel minorem dignitatem potestatemq. demonstrant. Et quidem inter Ecclesiasticæ militiæ duces Crucis signum prælatum Patriarchas & Archiepiscopos ab Episcopis, Cardinales Legatos a non Legatis distinguit. Quemadmodum & Bulgæ, seu hyppoperæ, quas valisias vocant, gentilitijs insignibus decoratæ, & Clauæ argenteæ, quæ, vt diximus, S. R. E. Cardinalibus præferuntur, discrimen maximum ostendunt inter illos, & ceteros Curiæ Prælatos. Cum igitur quælibet dignitas sua habeat insignia, quæ nulli, nisi eandem, vel maiorem dignitatem obtinenti licet esse communia: profecto fateri necesse est Romanam Ecclesiam, quæ in vniuerso orbe supremum locum tenet, atque vniuersali potestate super omnes fideles ac iurisdictione præstat, proprijs, ijsq. præstantissimis insignibus decoratam, atque munitam esse: idq. ita esse oportere, non solum de ijs ornamentis, quibus summus Pontifex ad sacra facienda accessurus induitur; cuiusmodi sunt, Sandalia Cruce aurea desuper ornata, Phanon, siue, vt illum appellat Innocentius, Orale, quo collum armiq. ipsius circundantur, & sacra Thyara triplici diademate circumcirca redimita, qua solius Romani Pontificis caput vni Deo aperiendum tegitur: verum etiam de ijs, quæ in publicum quacumque ex causa prodeunti præferenda sunt, ad illius supremam summamq. iurisdictionem, & prope diuinam in terris maiestatem, vt iam diximus, ostendendam. Myst. Miss. c. 53.

Crucis vexillum Romani Pontificis insigne esse demonstratur; cum sit signum Christi Redemptoris nostri, cuius vices Papa gerit in terris.

CAP. X.

INSIGNE vero præcipuum Romani Pontificis illud idem sine dubio existimare debemus, quod Christi signum fuisse, ipsiusq. victoriarum trophæum Scriptura sacra docet, & sanctorum Patrum testimonia confirmant. Vti enim Proregem non aliud nisi Regis, domini sui vexillum erigere, vel sequi decet; & Vicarius eodem, quo suus Episcopus, signo vtitur: sic Romanus Pontifex, qui Regis Regum, & Episcoporum Episcopi vices in terris gerit, alio insigni non gloriabitur, nisi eo, quod vere inuictissimi Imperatoris, & maximi sempiterniq. Sacerdotis, a quo super gentes, & super regna constitutus est, proprium & eidem gratissimum esse optime nouerit: vt ex illius erectione omnes intelligant, se toto cordis affectu idipsum profiteri, quod de seipso dicebat Apostolus ad Corinthios scribens: *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixũ.* Est Romanus Pontifex Beatissimi Apostoli Petri successor, & Christi Vicarius, quod omnes Catholici, ad quos præsertim noster sermo dirigitur, pro comperto habent. Proinde necessario fit, vt vnũ, idemq. sit Romani Pontificis, quod & Domini nostri Iesu Christi insigne. Viuificæ vero Crucis signũ proprium esse, ac præcipuum Christi Redemptoris insigne, ipsemet testatur, cum de extremo vniuersaliq. iudicio loquitur: *Tunc*, inquit, *apparebit signum filij hominis in cælo.* Quod beatissimus martyr Hippolytus, Cyryllus Hierosolymitanus, Hieronymus, & alij grauissimi Patres de signo sanctæ Crucis verissime ac sapien-

Hiere. 1.

1. Cor. 2.

Mat. 24.

tissime

tissime interpretati sunt. Et quidem Hippolytus hæc habet: *Orietur ab oriente in occidentem vsque signum Crucis superantis splendorem solis, denuncians aduentum & apparitionem iudicis.* Cyrillus ita scriptum reliquit: *Signum verum, & proprium Christi, quod non audet virtus contraria imitari; est Crux.* Augustinus (ne singulorum sententias referamus) latronem a dextris Christi crucifixum a se interpellatum in hæc verba respondentem inducit: *Sed hac Crux ipsa regni insigne est, & propter eam Iesum Regem appello, quia video Crucifixum. Opus enim Regis est vitam suam pro his, quibus regnat, opponere.* Quibus paulo infra subijcit: *Quemadmodum enim ingrediente Rege in ciuitatem, exercitus antecedit, præferens humeris signa, atque vexilla regalia; & ambitu præparationis armisona annunciat Regis introitum; ita Domino descendente e cælis, præcedet exercitus Angelorum, qui signum illud, id est, triumphale vexillum sublimibus humeris præferentes, diuinum Regis cælestis ingressum terrestrium mentibus nunciabunt.*

De consummat. mundi.

Catech. 15.

Serm. de temp. 130.

His clarissime se subscribit Ioan. Damascenus in hæc verba: *Adoramus etiam figuram pretiosæ & viuificæ Crucis, tametsi ex alia materia facta est; non materiam venerantes (absit enim) sed figuram tamquam Christi signum. Dicit enim discipulis suis contestans: Tunc apparebit signum filij hominis in cælo, Crucem dicens: & idcirco mulieribus dixit resurrectionis Angelus: Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum.* Et Apostolus: *Nos prædicamus Iesum Christum, & hunc Crucifixum. Multi enim Christi, & Saluatores, sed vnus Crucifixus. Non dixit lancea perfossum, sed Crucifixum.* Quid plura? potest ne aliquid verius dici signum filij hominis, nisi illud, quo, qui Dei est filius, declaratus fuit filius hominis esse? quid autem adeo certe eum manifestauit filium hominis esse, nisi mors, quam nullus vmquam euasit, filius hominis? Quia igitur per Crucem mortuus est, Crux manifestauit eum esse filium hominis. Crux igitur vere signum est filij hominis: vnde in diuinis officijs ad honorem sanctæ Crucis in Ecclesia

De orth. fid. lib. 4. cap. 12.

Mat. 24.

Mar. 14.

1. Cor. 1.

Breu. Roman. in solemnit. S. Crucis. celebrari consuetis non semel repetitur. *Hoc signum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.* Cum igitur signum sit Christi Regis morientis, & regnantis; nam *regnauit a ligno Deus:* & denique etiam iudicantis, merito filij Ecclesiæ Christi sponsæ a matre edocti Cruces his magnificis verbis humiliter salutant:

Psal. iux. Rom. interpr. 95.

Breu. Roman. in Dominica Passionis, ex Theodulpho auctore.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Quo carne carnis Conditor
Suspensus est patibulo.

Hinc forte vsu receptum est, vt beatissimus Christi præcursor Ioannes non cum ense, quo capite plexus martyr fuit effectus, sed cum Cruce in manu pingitur; vt inde clarius intelligatur, eum præconem fuisse Domini, qui per Crucem peccata mundi tollere debuerit. Eandem ob causam concipere quis mente non absurde posset, a sacrorum rituum præceptoribus vsu receptum, vt Subdiacono, cuius est Epistolam in solemni Missæ celebratione cantare, Crucis ferendæ ministerium fuerit demandatum, vt præconis partes, quas Ioannes Baptista Christo exhibuit, repræsentare videatur. Quare si ex Crucis signo præcursoris Christi munus declaratur, congruum erit, vt eodem quoque signo Christi Vicarius indicetur.

Lib. de diuin. offic.

Huc accedit, quod vti Reges, Imperatores, ac Duces, cum delectum militum habent, exercitumq. conscribunt, insignia, vexillaq. sua foras producunt, & in altum leuant, vt omnes intelligant quo conuenire debeant illi, qui stipendia acceperint, vel accipere velint: ita fidelium omnium Dux, & Imperator vnigenitus Dei Filius quando venit in mundum, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, Crucis signum tamquam proprium & peculiare vexillum elegit, & in sublime extulit, vt hominibus ab vniuersis mundi partibus conuocatis significaret eos, qui nomina sua dare vellent, atque Christianæ militiæ adscribi, omnes ad

Ioan. 11.

Crucis

Crucis vexillum occurrere, & sub illo congregari oportere, vt hac ratione compleretur, quod Dominus se facturum prædixerat, dicens: *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere: & fiet vnum ouile, & vnus pastor*: quod certe sub Crucis vexillo implendum erat iuxta Isaiæ vaticinium: *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iudæ colliget a quattuor plagis terræ*. Quem locum doctissimus Hieronymus sic explicat: *Leuabit signum Crucis in vniuersas nationes*. Et infra: *Postquam surrexerit radix Iesse, vt regnet in Gentibus, & vexillum Crucis ob salutem totius orbis fuerit eleuatum, tunc etiam Idumæa, & Moab, & filij Ammon, omnis scilicet Arabiæ latitudo dent Apostolis manus, & in locis idolatriæ Christi Ecclesiæ suscitentur, & cet.* Quod vaticinium quàm exacte impletum fuerit, Cyrilli Hierosolymitani disertis verbis edocemur: *Hoc ipsum, quòd tu nunc hic ades, persuadeat Crucifixi virtutem. Quis enim te nunc congregauit? Hoc Persas seruire fecit, hoc Scythas cicurauit, hoc Aegyptios a cattis, & canibus, & varijs erroribus ad Dei cognitionem adduxit: hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum, incantationumq. auertit imposturas: hoc cum Iesu apparebit in cælo: præcedet enim Regis trophæum, vt videntes quem pupugerunt, & a Cruce agnoscentes, quem contempserunt*. Qui vero sacrum hoc trophæum præferunt, illos imitari videntur, qui inter triumphandum de more arma deferunt, quibus præcipue victoriam reportarunt. Sic plane cum propugnator, ac Imperator noster fortem armatum virtute Crucis deuicerit, de atrio suo deturbarit, vniuersa eius arma sustulerit, erecto, elatoq. signo gloriosissimæ Crucis de illo merito triumphauit, vt egregie explicauit Apostolus in Epistola ad Coloss. his verbis: *Expolians principatus, ac potestates traduxit confidenter, palam triumphans eos in semetipso*. Non enim solum expoliauit dæmones, eorumq. imperium signo Crucis destruxit, sed palam & confidẽter traduxit, id est, ignominiose superatos ostendit, & velut exemplum & spe-

Ioan. 10.

Isa. 11.

In Isaiã.

Catec. 13.

Luc. 11.

Coloss. 2.

ctaculum

ctaculum omnibus vilipendendos ostendit. Vti enim in triumphis victores per vrbem circumagere captiuos solent, & pompa publica ducere: sic Christus per Crucem diabolicis potestatibus spolia detraxit, & triumphans in semetipso confidenter, & palam per Crucem superatos, ac deuictos ostendit. De quibus, triumpho scilicet, & trophæo ita & quidē egregie scriptū reliquerunt Venantius, Honorius, Clementianus, Fortunatus; *Crux species trophæi est, quod deuictis hostibus solet fieri triumphanti. Et quia Dominus tria regna sibi subiecit, suspensus in aera victoriam de cælestibus, & spiritualibus nequitijs est adeptus. Expandens autem manus ad populos palmam de terrenis. Quòd vero sub terra Crux fixa est, ostendit eum, & de tartaro triumphare.* Hæc de Cruce vt est Christi signum. Reliquum est vt ostendamus ipsam esse Romani Pontificis proprium insigne: quod in proxime sequenti capite manifestissime demonstrabimus.

Tomo 7. Biblioth. SS.Pat.in De Apostol.

Ex eo quòd signum Crucis singulis B. Petri Successoribus prælatum constat, deducitur, quòd sit illorum proprium ac peculiare insigne.

CAP. XI.

Porphyr. in Isagog.

DOCENT Peripatetici eam affectionem alicui speciei, seu formæ propriam esse, quam vel omnibus eius formæ particularibus subiectis, vel solis, vel semper inesse compertum est. Illam vero, quæ omnibus & singulis, ijsq. solis ac semper adhæret, maxime propriam esse dicendam. Quamobrem si ostenderimus, Crucis coram Pontifice Romano prælationi hæc omnia conuenire, nedum illius propriam, verum & maxime propriam esse absque vlla dubitatione constabit.

Primum

Primum igitur, videlicet quòd omnibus Romanæ ſedis Pontificibus ſemper in vſu fuerit, Crucem præferri, ex ijs, quæ in primo Libro ad huius ritus antiquitatem probandam diximus, facile colligitur: Idemq; ex conſuetudine vſque in hanc diem perpetuo ſeruata comprobatur: Niſi enim omnibus ac ſingulis ſibi ſuccedentibus ſummis Sacerdotibus Crux prælata fuiſſet, hic ritus ad hæc vſque tempora minime perueniſſet. Neque vero eſt, quòd quis dubitet, fuerit necne ſemper in vſu: ſemper enim & perpetuo tenore ſeruatus fuit. Quoniam vero omnes ac ſinguli eoſdem honores & parem poteſtatem habent; neque eſt, immo nec excogitari poteſt ratio, propter quam id vni ex eis, & non alteri conueniat. Ideo ritum illum vnicuique illorum communem fuiſſe, eſſe, ac ſemper deinceps futurum, credendum eſt.

Quæ eſt enim, obſecro, cauſa, cur ſacri DD. Cardinaliũ Senatus antiquior Diaconus, noui Pontificis electionem ac nomen Clero populoq. e ſublimi loco renunciaturus, primum omnium venerabile Crucis trophæum de more proferat, ac oſtendat, niſi quòd illius ceremoniæ inſtitutores pie & prudenter exiſtimarunt, æterni ſummi Pontificis Vicarium & beati Petri Succeſſorem, Chriſti clariſſimo vexillo, vel electi nomenclatione vel familiæ proprio ſtemmate fidelibus debere innoteſcere? Quod ſane & in laicorum Principum electionibus non raro contingere videmus; quàm plurimi enim illis ſubiecti populi datum ſibi nouum dominum per eius propria ſuper oppidorum portas & mœnia explicata, & infixa vexilla, prius quàm ex proprio illius nomine, intelligunt. Eius autem, quam dico in nuper creato ſummo Pontifice annunciando conſuetudinis ſeruandæ præceptum extat in lib. Cerem. Rom. his verbis exaratum: *Interim* (hoc eſt dum electores electo, clamide, quam Croceam vocant, exuto, & Pontificiis veſtibus nondum induto in ſede Pontifi-

Lib. 1. cap. 2.

Pontificia gestatoria in aulæ, in qua electio celebratur, medio firmata sedenti, reuerentiam exhibent, gratulantur, & fausta precantur) *prior Diaconorum aperta sacrarij fenestella, qua populus expectans videri potest, Crucem profert, alta voce clamitans: Annuncio vobis gaudium magnum: Papam habemus. Reuerendissimus Dominus Cardinalis. N. electus est in summum Pontificem, & elegit sibi nomen. N.* Qui ritus efferendi Crucem, antequam electus Pontifex omnino annuncietur, cum antiquissimus in Catholica & Romana Ecclesia, ac perpetuus fuerit, & in omni Pontificum Romanorum creatione adhibeatur; profecto Crucem, commune esse insigne omnium, ac proprium singulorum beati Petri Successorum concluditur.

Solius Romani Pontificis est ex propria auctoritate iubere, vt sibi in publicum exeunti Crux præferatur.

CAP. XII.

QVOMODO autem solius Romani Pontificis proprium insigne sit, quod omnibus Apostolicæ Sedis Legatis, Patriarchis, Archiepiscopis, & aliquibus etiam Episcopis commune cernimus, nonnihil ambiguitatis afferre alicui posset. Quisque tamen id facile intelliget si considerauerit plurimum differre, quanam ratione aut colore, quove titulo, vel insigni aliquo quis honestetur. Cum non raro contingat, vt plures vno eodemq. signo decorentur: quod tamen iure proprio vni tantum conuenit, ceteris vero omnibus ex huius gratia & concessione. Quod sane manifestissime videre est, in hoc, de quo agimus negotio. Idq. inter Apostolicam sedem, & ceteras quascumque

tam

tam Patriarchales, quàm Archiepiſcopales, & per vniuerſum orbem diſtributas Eccleſias luce clarius manifeſtari poteſt, vt in iam ſupra relato capite, *Antiquæ extr. de priuilegijs, & cet.* accurate obſeruauimus. Ex ſententia enim Patrum Concilij Lateranenſis, & Innocentij III. qui illi præfuit, fere omnia liquido apparent, quæ ex dictis in præſenti, & in duobus proxime præcedentibus capitibus probatione indigere alicui videri poſſent: Nempe Romanam Eccleſiam certum ac proprium inſigne habere: illudq. eſſe viuificæ Crucis trophæum, ac denique Romani Pontificis adeo proprium, vt ſibi præferatur, & nullis aliarum, quæcumque illæ ſint, Eccleſiarum Prælatis Crucis venerabile ſignum præferri liceat, niſi quibus ab ipſa Romana & Apoſtolica Sede ex ſpeciali gratia id fuerit indultum, neque niſi intra certos limites, & iuxta formam ab eadem Sede illis præſcriptam: quemadmodum in pallij induendi, & geſtandi vſu videre eſt. Quod omnes ab eadem Sede humiliter petunt, & acceptam ab ea legem de illo certis tantum diebus vtẽdo exactiſſime ſeruant. Ne igitur eadem fruſtra repetamus, Lectorem ad ea, quæ eo in loco a nobis dicta ſunt, remittimus.

Accedit ad hæc, quòd inuictiſſimum ſignum, quale profecto & vnicum eſt Crucis inſigne, quod Conſtantino, vt de victoria certus redderetur, oſtenſum fuit, illi Eccleſiæ peculiariter tribuendum eſt, quæ ſola ſemper inuicta, & omnino inſuperabilis extitit. Cum autem nulla huiuſmodi priuilegio gaudeat, nec re vera gloriari poſſit, præter illam, cui Principis Apoſtolorum Succeſſor pręfectus eſt, vtpote de qua, ac de vniuerſali Eccleſia ab illius ædificatore Chriſto dictum eſt: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Mat. 16. Crucis ſigno iure decorantur Pontifices illi Eccleſiæ præpoſiti, quæ numquam in errorem labi, nec hæreticorum verſutijs, aut tyrannorum tormentis etiam collatis in vnum totis eorum viribus ſuperari potuit, nec poterit. Quemadmodũ

Q de illa

Li. Thes. ex cat. aurea, c.6.

de illa merito scripsit Cyrillus: *Secundum hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hareticaq. circumuentione manet immaculata super omnes Prapositos, & Episcopos, & super omnes Primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima, & auctoritate Petri. Et cum alia Ecclesia quorumdam errore sint verecundata, stabilita inquassabiliter ipsa solum regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora hareticorum, & nos necessario salutis non decepti superbia, neque vino superbia debriati typum veritatis, & sancta Apostolica traditionis vnà cum ipsa confitemur, & pradicamus.*

Defertur quoque hoc trophæum ante cuiuscumque ordinis Clericorum, Monachorum, & aliorum vitæ regularis vnà simul ordinate procedentium Collegia. Sed absque dubio ex eiusdem sedis Apostolicæ indulgentia, & facultate: sine cuius auctoritate, nec in vnum conuenire, nec Ecclesias ædificare, nec sacra facere possent. Nam nonnisi per Episcopos, quos in partem solicitudinis assumit Romanus Pontifex id probaret, nec templa, nec monasteria, nec huiusmodi alia loca sacra pro Regularium Collegijs fundari, nec fabricari liceret.

Huc accedit, quòd huiusmodi militum, seruorumq. Dei agminibus Crux de more præfertur, nō in alicuius præcellentis dignitatis argumentum, sed in testimonium, quòd in sorte Domini numerentur, & tamquam spiritualis militiæ exercitus Crucis vexillum sequantur aduersus hostes inuisibiles, ad quos expugnandos, & debellandos validissimum est Crucis propugnaculum. Crucis enim venerabile signum religiosis viris vna simul conuenienti ordine incedentibus prælatum, ad viuum repræsentat venerandum illud vexillū, quod Constantino Magno ad prœlia proficiscenti præferebatur. Ad cuius similitudinem eo propius accedit, quòd velum Cruci appendi solet ipsius Crucis latitudinē exæquans Saluatoris nostri, vel Sanctorum eius imaginibus ornatum, quale fuisse Constantini Labarum, de quo

præter

præter Nicephorum (vt ſupra retulimus) Euſebius ſcripſit his verbis: *Ad cornu illius particula, quæ ex tranſuerſo erat per haſtile traiecta velamen, quoddam pertenue appenſum adhæſit, regalis videlicet, & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretioſorum artificioſe coniunctorum, lucisq. claritate pulchre reſplendentium depicta, & multo auro contexta, quæ dici non poteſt, quantam ſpectatoribus ob ſuam pulchritudinem excitarit admirationem. Illud igitur velamen ad cornu affixum longitudine, latitudineq. Crucis menſuram penitus exæquans, oblongum vero, & erectum haſtile in ſublimi appenſum, cuius pars inferior verſus baſim longius ducta fuit ſub ipſum Crucis inſigne ad textura diſcurrentis fimbrias auream pij Imperatoris, pariter ac liberorum ſuorum effigiem ad pectus vſque concinne deſcriptam continuit. Iſto igitur ſalutari ſigno Imperator tamquam hoſtilis cuiuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo ſemper vſus eſt. Cuius expreſſæ ſimilitudines, mandauit, vt vniuerſum exercitum perpetuo antecederent.* Hæc Euſebius. Quæ ſi quis accurate conſiderauerit, facile perſpiciet Eccleſiaſticorum collegiorum ſub proprijs ſignis, quorum haſtilia velo exornata ſint, in vnum conuenientia, ſimulq. incedentium agmina quandam præſeferre imaginem militarium copiarum conſimilibus Crucis vexillis vndique præmunitarum, quibus imperabat, & quarum ductor tunc erat inuictiſſimus Conſtantinus.

De vita Conſtãt. lib. I. c. 25

Cum autem vſu receptum fuerit in Eccleſia, vt aliquibus haſtili nudo, alijs vero ſaltem anteriorem partem induto ſuperimpoſita Crux præferatur. Et vt plurimum Monachorum & huiuſmodi aliorum regulari inſtituto aſtrictorũ virorum Sodalitates cooperto, Prçſules vero nudo vtantur, non penitus forte a veritate aberrabimus, ſi dicamus, Crucem ſine velo, eſſe dignitatis inſigne, cum velo autem multitudinis, ſeu militiæ ſacræ in vnum coeuntis, & vna de more procedentis quoddam quaſi Vexillum exiſtere.

Cum igitur ſacrum Crucis vexillum non ob eamdem cauſam, & ſatis diuerſo ritu, ac forma Archipræſulibus,

& Ecclesiasticæ militiæ Sodalitijs præferatur. Et in primis quoniam summus Pontifex suo sibi iure Crucem præferri faciat, ceteris vero omnibus & ipsis etiam Metropolitis non nisi ex facultate a sedis Romanæ Episcopo facta, nullus iam dubitandi locus erit, quin Crux solius sit Romani Pontificis, certo quodam modo proprium insigne.

Est autem huius veritatis non leue argumētum, quòd Metropolitæ, & ceteri, qui præferendæ sibi Crucis priuilegio gaudent, in omnibus suæ ditionis locis, ad quæ ipse Maximus Pontifex, vel eius Legatus Apostolicæ sedis insignibus vtens accesserit, Crucem demittūt, neque amplius altero eorum præsente eam sibi præferri patiūtur; nimirum ea ratione profitentes praeclarissimi eiusmodi insignis vtendi facultatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ acceptam referre. Etenim ob consimilem caussam inferiorum Ordinum classis regiæ Capitanei vexilla in conspectu vniuersæ classis Generalis Præfecti solent deponere in subiectionis ipsorum, & fidelitatis testimonium, quemadmodum ob id, quòd luna lucem suam a sole mutuat, solis radijs apparentibus, splendorem, lumenq. suum non ostendit, & illo præsente orbem illuminare desinit.

Crux semper & vbique Romano Pontifici præferenda.

CAP. XIII.

RESTAT, vt demonstremus Crucis prælationem semper Romano Pontifici conuenire: Huius rei indubiam fidem faciunt rituum Romanæ Ecclesiæ Libri, in quibus ex vetustissima consuetudine iubetur, vt quoties Papa siue per Vrbem, siue extra eam incedat, siue

Lib. 1. sectio. 2. & 12. cap. 1. 21 & 3, Li. 2. c. 2.

siue ad Ecclesias, siue ad quæuis alia loca, tam propinqua, quàm remota iter habeat, immo intra palatium ipsum, cum ad Sacellum, quod Cappellam Palatinam dicimus, sacro Cardinalium Senatu comitante procedit, vt diuinis in ea celebrandis officijs intersit, Crux illi eunti & redeunti semper præferatur. Excepto tamen triduo maioris hebdomadæ, dum ad Matutinas horas audiendas quasi atratus egreditur, siquidem nec vlli ex ceteris, quibus Crucis huiusceemodi vsus communicatus est ad horas illas proficiscenti ob certum latens, ac reconditum mysterium præferri licet. Lib. Ceremon. 2. cap. 42.

Semper etiam idipsum ei conuenire certo constat, & vbique locorum. Nullum enim est regnum, nulla diœcesis, vel ciuitas, nulla prouincia, nullus denique in orbe locus, quem Pontifex præsentia sua dignum fecerit, vbi ei suum Pontificium, Crucis videlicet signum, non sit præferēdum: Nam sicut summus Pontifex omnium quotquot in terris sunt fidelium est Pastor, & rector; ita vniuersus terrarū orbis est illius Metropolis & diœcesis. In quem sensum verissime vsurpatur quod in ore omnium frequentissimum est prouerbium: *Vbi Papa, ibi Roma.*

Confirmat postremo sententiam nostram præstantissimi huius signi cum ceteris quibuscumque eiusdem Pontificiæ dignitatis insignibus comparatio; qualia sunt diuersorum generum amplissima vexilla. Pilei itidem pretiosi, & ipsa (vt cetera taceam) sanctissimi Corporis Christi ante eum cum splendidissima pompa gestatio. De his omnibus & alijs, quæcumque illa sint, cum Crucis vexillo comparatis, id quidem enunciare licet, quod de Tiara, seu (vt vocamus) Regno Innocentius III. pronunciauit in hæc verba: *Romanus itaque Pontifex in signum Imperij vtitur Regno, & in signum Pontificij vtitur Mitra: sed Mitra semper, & vbique: Regno vero nec semper, nec vbique.* At nos de Mitra ipsa, cuius vsus frequentior est Pontifici, quàm Tiara, & aliorum, quæ Ser. 1. de S. Siluestro.

supra

ſupra memorauimus Inſignium, id certiſſime aſſeueramus, Pontificem non vti Mitra ſemper, & vbique: Cruce vero & ſemper, & vbique. Nam Mitram non geſtat, niſi dum diuina operatur, at Crux nedum ad diuina officia peragenda, vel audienda, ſed etiam ad alia quæque munia obeunda accedenti ſummo Pontifici ſiue ſacro, ſiue domeſtico, & quotidiano habitu induto numquam non præferenda eſt. Si ergo ſoli, ſi cuilibet Romano Pontifici, ſi ſemper, & ſi vbique conuenit prælatio Crucis, neceſſe eſt vt fateamur, Crucem Romani Pontificis nedum propriũ verum & maxime proprium eſſe inſigne, quod demonſtrandum ſumpſeramus.

Crux præſtantiori ratione ſuper Romani Pontificis, quàm ſupra Metropolitarum gentilitia inſignia ſemper ſtatuitur.

CAP. XIIII.

SI QVIS autem, Crucem non Romani tantum Pontificis, ſed Archiepiſcoporum, Primatuum etiam, atque huiuſcemodi Prælatorum proprium Inſigne eſſe contendat; quod eam ſuper illorum, & non ſupra Romani Pontificis gentilitia ſigna inſculpi, depingi, aut aliter effigiari videat. Facile ſatisfieri poſſe arbitramur hoc pacto, vt primum dicamus, Crucem Metropolitarum inſignibus ſuperimponi, illaq. huiuſmodi illuſtriſſimo ligno honeſtari, vt ab Epiſcopis, qui hoc priuilegio carent, diſtingui poſſint, atque dignoſci, non tamen vt cum Pontifice Romano comparentur, a quo hoc ſingulare priuilegium acceperunt. Quamobrem ſi Dominicæ Crucis vexillum proprium Metropolitarum inſigne eſſe alicui videatur, hac plane tantum ratione concedendum cenſemus, quatenus Archiepiſcopi

Vt taceatur quòd apud Patres hoc in vſu nõ erat.

pi inferioris tantummodo, non autem superioris ordinis Præsulibus, & multo minus ipsi maximo & supremo Pontifici comparantur, per quem secundum Deum assecuti sunt quidquid honoris habent, & dignitatis.

Sed quid opus est, vt dubitationem, cui sensus ipsi euidentissime satisfaciunt, verbis & rationibus de medio tollere laboremus? Omnibus enim paulo diligentius rem hanc inspicientibus & considerantibus non modo vnum, sed etiam bina Crucis signa singulis Romanorum Pontificum, gentilitijs Insignibus superposita manifeste apparebunt. Quis enim est, qui non cernat, licet non omnes fortasse aduertant, binas illas claues, quæ supra Romani Pontificis gentilitijs insignibus statuuntur, ea ratione dispositas, vt vna alteri in medio superponatur, Crucis figuram referre? quæ admirabili quodam sapientissimoq. consilio Pontificum stemmatibus adijciuntur, vt ea vna, vt ita dicam, Hieroglyphica nota Pontificiæ dignitatis, omnium suprema potestas, & Pontificis maxime proprium insigne demonstretur. Namque Potestas per Claues repræsentatur: signum vero Crucis, in eo quòd decussatæ cernuntur. Nam quòd claues potestatis ac iurisdictionis symbolum sint, luculentissime declarauit ipsarum Auctor dicens Simoni Petro: *Tibi dabo claues Regni cælorum: Quodcumque solueris super terram; & cet.* At si cui dubium sit clauium in eiusmodi forma dispositionem Crucis signum conficere, illi quoque dubitandum erit Constantini Magni vexillum instar Crucis illius fabricatum, quæ sibi in cælo apparuerat, Crucis similitudinem expressisse, cum Eusebio, Nicephoro, & ceteris, qui historiam illam scriptis tradiderunt, admirabile illud signum Χ, vnius ex elementis Alphabeti Græci formam prætulerit, cui omnino similis est illa, quæ per Claues ea ratione compactas figura efficitur Pontificum insignibus imponi solita. Mat.16.

Idem

Idem quoque fateri compelletur, beatissimum Andream Apostolum martyrium suum in Cruce minime consummasse, cum ex antiquissima traditione a pictoribus vbique expressam habeamus arborem ipsam, in qua sic forte, vt contigit, appensus fuit χ, litteræ græcæ figuram habuisse. In dubium præterea reuocaretur illud, quod tot Patrum auctoritate supra conclusimus, Iacob videlicet Patriarchæ manus cancellatas
Gen. 48. in crucis figuram fuisse compositas, quando Ephraim, & Manassem benedixit: Nam ita compositæ, & cancellatæ manus, nullam aliam figuram efficere potuerunt, præter illam, quam ex Clauibus supra Pontificum stemmata poni solitis constitui videmus.

Consequeretur etiam & illud omnino a veritate alie-
Dist. 23. num, quod Sanctus sacerdos contra sacrorum Cano-
c. Eccles. instit. num præscripta absque Crucis signo ad pectus sacra faceret, aut reciperet, licet de vno eodemq. Orario cer uicem pariter & vtrūque humerum premat. Cum ta-
Cōcil. 3. men Concilij iij. Bracarensis Patres eam stolæ decus-
Brac. c. 3. sationem a Sacerdotibus faciendam excogitarint, & iusserint, vt hac ratione Crucis signum sibi in pectore præparent. Ad hanc confirmandam veritatem facit quòd Burgundi, vt vulgo notum est, erga B. Andream Apostolum singulariter affecti, Crucem, non vt Galli, & alij Christiani equites a collo ad ventrem, & a latere dextro ad sinistrum, sed ab humero dextro ad latus læuum, & a læuo humero ad dextrum latus habent, Crucem similem ei, cui sanctus Andreas affixus fuit, deferre volentes.

Amplius, si nulla alia figura Crucis nomine nuncuparetur præter illam, quam ad similitudinem Crucis Domini formare consueuimus, non deessent fortasse qui etiam de beati Petri Apostolorum Principis crucifixione dubitarent, cum longe diuerso modo, quàm Magister & Dominus eius ac noster, hoc est, verso ad terram capite, & pedibus in altum leuatis in Crucem

actus

actus fuerit. Quæ plane crucifigendi ratio non fuit singularis in Petro, cum, Seneca teste, apertissime constet, olim transuerso capite multos patibulo Cruci affixos: *Video*, inquit Seneca, *istic Cruces non vnius quidem generis, sed aliter ab alijs fabricatas. Sunt qui capite in terram conuerso suspendant: Alij per obscœna stipitem agunt: Alij brachia patibulo explicuerunt*. Duo enim ligna, quorum vnum alteri superponeretur, quacumque ratione id fieret, Crucem componebant. Ideo a Græcis didymon xylon dicebatur, quod Latine redditur geminum lignum. Et re vera Crux apud Latinos, non a certa quadam eam componendi forma dicitur, sed quòd præ ceteris patibulis durius, dirius, ac diutius cruciaret. Nam, vt beatus Augustinus dicit: *Vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a Cruce nominatus*. Quod satis clare indicauit Apostolus ad Philippenses de Christi incomparabili obedientia scribens: *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis*. Illa enim morte, sicut idem Augustinus scribit, peius nihil fuit inter omnia moriendi genera.

Lib. de cō solat. ad Marciam. Et Cæli. Rhodig. ant. lect. li. 10. c. 8.

Tract. 36. in Ioann. cap. 8.

Phil. 2.

Claues decussatæ iure vsurpatæ pro Insigni Patriarchij Lateranensis, & Ecclesiæ vniuersalis per vniuersum orbem diffusæ.

CAP. XV.

CONSIDERANTIBVS nobis qua ratione ducti fuerint, qui vno illo, & communi symbolo, Clauium scilicet decussatarum cuiuslibet Romani Pontificis Insignia propria decoranda existimarint, occurrit hoc ipsum sacrosanctæ quoque Lateranensis Ecclesiæ

proprium esse Insigne. Nam tametsi Vaticanus quoque illustrissimus Clerus Basilicæ in beatissimi Apostoli Petri memoriam gloriosam extructæ addictus, Clauium signo vtatur; hæ nihilominus hinc & inde æquis spatijs pendent, & Crucis figuram non efficiunt, quam passim constitui cernimus per decussationem illarum, quas Lateranense Patriarchium pro Insigni suo Maiorum traditione iampridem accepit; qua singulari prærogatiua sacrosanctam illam Ecclesiam merito gaudere fatemur, quòd in Vrbe & Orbe primatum ei conuenire credamus & prædicemus, propterea quòd beatissimorum Pontificum, qui Christi Regis regum, & Domini dominantium vices in terris gerunt, Sedes propria sit, cui singulari quadam ratione, vt magni Gregorij more loquar, incardinantur, & tamquam sponsæ suæ propriæ spirituali coniugio copulantur. Est enim proprium illorum, qui matrimonio iuncti sunt, vt neuter quidquam sibi retineat, quod alteri coniugi communicare nolit: quo fit, vt eisdem titulis, ornamentis, priuilegijs, & insignibus Sponsa, quibus & Sponsus, honestetur, decoretur, & vbique pro arbitrio vtatur. Hinc merito in more consuetudineq. positum est, vt quàmprimū aliquis ex amplissimis Patribus ad summi Apostolatus apicem euehitur, statim gentilitium, & familiæ suæ proprium Stemma Clauibus ea forma compactis exornet, quas Lateranensis Ecclesia pro suo, vt mox diximus, excellentissimo Insigni accepit.

B. Gregorius.

Nec omittendum existimo, Claues in Crucis formam eadem ratione compositas, illius quoque Ecclesiæ Insigne esse, quæ in vniuerso orbe propagata est, & ab omnibus merito vniuersalis appellatur. Cuius quidem rei hanc vnam causam dicemus: quòd vnus & idem Romanus Pontifex non minus vniuersæ per totum orbem terrarum diffusæ multitudinis fidelium, quàm Lateranensis Patriarchij proprius, ac vniuersalis Episcopus, Caput, Moderator, & Pastor existat. Quare

re non sine matura consideratione factum credimus, vt decussatæ Claues, quæ Lateranensem Ecclesiam speciatim repræsentant, intra scuti vnius terminos circumscribātur: quæ vero vniuersum Christianorum cœtum referunt, nullis arctatæ finibus contineantur, sed hastili longo appensæ cernantur. Ex qua quidem varia, ac diuersa Clauium dispositione duarum, de quibus modo nobis sermo est, Ecclesiarum distinctio manifeste cōspicitur: cum altera Romani tantummodo Patriarchij, altera vero per vniuersum orbem diffusas cunctas Christi oues complectatur: sed quia Romana Ecclesia ceterarum quarumcumque Ecclesiarum Mater, Caput, & Magistra existit, æquissimo iure & ipsa vniuersalis creditur ac prædicatur. Nec mysterio vacat, quòd latum illud & rotundū, seu orbiculatum tētorium quod Confalonem vulgo appellamus, Clauibus, quas vniuersalē Ecclesiā repræsentare diximus, superimponi conspicimus: ampla enim omniumq. capacissima sphærica figura, latitudinem, amplitudinemq. demonstrat vniuersalis Ecclesiæ, in qua omnes ex omni plane Natione, quæ sub cælo est, ad fidei vnitatem collectæ speciales Ecclesiæ continentur. Ipsa vero forma tentorij, cum eorum, qui in castris degunt, domus quodam modo sit, ac veluti tabernaculum, Ecclesiam in terris aduersus multiplices ac immanissimos hostes perpetuam pugnam gerentem, ab eadem in cælesti patria opulenta requie iam fruente, quæ triumphans nuncupatur, discernit, atque distinguit. Et ne quid intactum quoad possumus relinquamus, si qui sunt, quibus hæc quæ de signo Crucis per Claues decussatas expresso, non plene satisfaciunt, in Tiaræ, quæ eiusmodi Clauibus superstat, summitatem oculos erigat, vbi conspicere poterit alterum, quod supra indicauimus, Crucis viuificæ signum, licet propter loci illius angustam capacitatem & proportionem valde exiguum, ad Crucis tamen, de cuius figura modo loquimur, imitationem ad amussim

fabrefactum, quod omnem, quæ circa propositum negotium suboriri posset, ambiguitatem prorsus amouebit. Hæc enim cum in sacri illius ornamenti fastigio statuatur, quod solius Vicarij Christi caput exornat, cui omnium Principum & Regum diademata subijciuntur, & ipsius quoque Cæsaris corona merito cedit, liquido consequitur, Crucis venerabile signum nedum proprium, & maxime proprium Romani Pontificis Insigne existere, verumetiam in vniuerso orbe principem locum obtinere, vt verissimæ sint Ambrosij, & Augustini duorum Ecclesiæ luminum sententiæ. Ille enim dixit: *Sapiens Helena, quæ Crucem in capite Regum leuauit: vt Crux Christi in regibus adoretur.* Hic vero: *Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius.* Vnde ad credentium consolationem merito subdit: *Quid seruat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo?*

Ambrof. de obitu Theodof. Imper. Aug. tracta. 36. in Ioannem.

Ex duobus sacrorum Euangeliorum locis explanatis demonstratur, Crucem semper paratam ijs præcipue, qui celsiorem in Ecclesia locum obtinent.

CAP. XVI.

POSTREMO quisquis duo sacri Euangelij loca perpendat, in quorum primo Pontificia dignitas beato Petro a Christo promittitur: in altero autem ipsi confertur, haud difficile deprehendere poterit, eos, qui supremum in Dei Ecclesia honorem consequuntur, statim præparatos esse oportere ad Crucem Domini suscipiendam, & cruciatus omnes eius causa perferendos.

Matt. 6. Primus extat apud Matthæum, quando Saluator noster

noster Apostolo Petro post illam cælesti ac diuina magis quàm humana lingua dignam ab eo editam confessionem : *Tu es Christus Filius Dei viui*, respondit in hæc verba : *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo* (en promissio Pontificatus) *Claues Regni cælorum. Et quodcumque ligaueris super terram, & cet.* Quibus mox subnectit Euangelista ea, quæ ad Crucem attinebant, in ipsomet capite nostro adimplenda. *Exinde* (dicens) *cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire in Hierosolymam, & multa pati a senioribus, & scribus, & Principibus Sacerdotum.* Quibus verbis quoniam Petrus humano quodam affectu ductus ausus fuit aduersari, hoc sermone idem Dominus illum acriter increpauit : *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Et vt doceret, non solum Petrum, verum & ceteros quosque fideles per voluntariam Crucis assumptionem sequi oportere exemplum filij hominis, quem Petrus ipsius Dei viui filium confessus fuerat, statim subiunxit huius rei necessitatem, dicens : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Alter, & quidem apertior locus Ioannis vltimo habetur, vbi Saluator post suam a mortuis resurrectionem in cælum ascensurus dixit Petro: *Pasce oues meas.* Quibus verbis iuxta orthodoxorum Patrum interpretationem, Pontificiam dignitatem Clauium nomine ei aliàs promissam contulit, & in illius (vt ita dicam) possessionem illum immisit, suumq. ad vniuersam Ecclesiam regendam Vicarium instituit. Illis autem statim subiecit: *Amen, Amen dico tibi: cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Quæ de morte ab eo in Cruce obeunda dicta fuisse, ipsemet Euangelista explicauit subdens: *Hæc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.* Quod etiam euentus demonstrauit. Ioan. vlt.

strauit. Nam Imperatoris Neronis iussu Cruci affixus gloriosissimo martyrio ex hac vita decessit. Quo factum est, vt non solum in ministerio commissi sibi gregis, sed etiam in mortis genere, ac vitæ præsentis consummatione perfectissime compleuerit quod sibi a Magistro, & Domino mandatum, & iniunctum fuerat hisce nouissimis verbis: *Sequere me*. Cum igitur in beatissimo Petro primo Christi in terris Vicario hæc simul coniuncta vnitaq. fuisse, mente, & oculis ipsis conspiciamus, Pontificiam videlicet dignitatem, & Crucis propter Christum assumptionem, quis non intelliget quantopere conueniat, deceat, immo & oporteat, vt (quod paulo superius dicebamus) cuilibet ad beatissimi Apostoli Petri cathedram euecto maxime proprium Magistri, & Domini sui Insigne inuictissimum, & gloriosissimum Crucis trophæum illico erigatur, & ante ipsius oculos statuatur; vt eo duce impositi sibi grauissimi oneris munia auspicetur, prosequatur, & ad optatum finem eodem opitulante a se perducantur? Id profecto clarissime explicauit Andreas Cretēsis Episcopus:

Serm. de Exalta. S. Crucis.

Et hoc est (dicens) *quod nunc faciunt, qui clauium suscepere Pontificium, in excelsum Ecclesiæ locum conscendentes, & hanc gloriosissimam, & vel maxime adorandam Crucem in altum extollentes, & sæpe sublime extollentes ostendunt, populis propemodum clamantes: Ecce inuentus est, qui fuerat absconsus salutis thesaurus: ecce signaculum, in quo signati sumus: ecce Crux, per quam cogniti fuimus Crucifixo: ecce cornu, in quo inimicos nostros ventilabimus, in quo illæsi transimus laqueos inimici; quo freti infantium tela putamus plagas dæmonum*. Sapientissimo igitur ac pio admodum consilio introductum apparet, vt numquam in publicum prodeat Romanus Pontifex, nec pedem domo efferat, nisi felicissimo isto trophæo præeunte; quo publice ac palam significet, ac protestetur sibi in animo esse, & apud se constantissime, ac firmissime deliberasse, pro viribus sibi a Deo collatis, & conferendis Christi vestigia sequi,

qui, & pro illius fide prædicanda, pro ſibi commiſſi gregis ſalute procuranda, & ipſius Crucifixi Domini noſtri gloria illuſtranda, & propaganda, quæcumque ſibi aduerſa hilari animo ſubire, fortiſſime ſuſtinere, feliciter ſuperare, immo & ipſam mortem, ſi id neceſſitas exigat, intrepide, & alacriter perpeti.

Nec illud prætermittendum videtur, quod ex Crucis ſummo Pontifici prælatæ occurſu, & inſpectione admonentur omnes, qui ei obuij fiunt Chriſtiani, quanta cum humilitate, ac veneratione excipiendus ſit Pontifex, quantoq. honore, & reuerentia proſequendus; nempe quaſi in eo Chriſtum ipſum propter nos Cruci affixum ſuſcipiant, venerentur, & adorent. Quemadmodum ſecum Galatas egiſſe teſtabatur Paulus his verbis: *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum*. Gal. 4. Quam ob cauſam Reuerendiſſimus D. Epiſcopus Veſtanus in eo, quem & ſupra citauimus libro de oſculatione pedum ſummi Pontificis, Cap. 18. merito aſſerit, ideo Crucem ſandalijs Papæ affixam fuiſſe, vt fideles ad eius pedes obuoluti Cruce perſpecta maiori animi pietate debitos ac neceſſarios honores Pontifici redderent, atque exinde Chriſtum contrectare, atque oſculis contingere viderentur.

Nec ab his abhorret quod in Venetorum Annalibus relatum comperi de ſigno Crucis Coronæ maximi eorum Reipublicæ Ducis ad eum finem appoſito, vt qui debitum honorem ſupremo illi Principi deferre ob aliquam humanam cauſam recuſabant, ac liberos ſe, & immunes credebant, ob venerabilem tamen Crucis imaginem illi cederent, debitumq. honorem deferrent.

Poſtremo & illud accedat quòd hac quaſi perpetua Crucis præſentia Pontifex ipſe maximus admonetur, dum tot tantiſq. ac prope diuinis honoribus ab vniuerſi orbis fidelibus ſe affici conſpicit, in memoriam ſibi Chriſtum Dominum reuocandum eſſe, a quo tantam

tam dignitatem, tantamq. potestatem accepit, vt cuncta hæc obsequia ad illum referat, cuius causa sibi exhibentur. Numquam præterea illi gratias non agat, eiusq. vestigia sibi sequenda, exemplaq. imitanda proponat, cuius auctoritate munitus tanta sibi obsequij & obedientiæ signa deferuntur. Summo denique studio contendat tam pro se, quàm pro sibi commissis ouibus custodiendis, & pascendis vires ac robur perpetuis ac deuotissimis precibus a Deo impetrare.

Vno beati Iustini Martyris testimonio, quæ hactenus dicta sunt, summatim confirmantur.

CAP. XVII.

SED ad salutiferæ Crucis honorem, & ad omnium, quæ de illa diximus, confirmationem, & quasi per orationem nouissime proferatur beati Iustini doctrina, pietate, ac martyrio insignis testimonium, quod in secunda ipsius ad Antoninum Pium pro Christianis apologia habetur in hæc verba: *Quia didicerant* (cultus videlicet Idolorum impij præceptores) *illum* (hoc est Christum) *opem allaturum membris omnibus, Aesculapium protulerunt in medium: Crucem tamen in nullo Iouis filio retulerunt, non enim intelligebant mysterium scripturarum figurate omnia tradentium. Nec quòd Crux sit præcipuum Insigne principatus, ac roboris, vt oculis cernitur. Considerate totum mundum, an in eo quidquam geratur sine hac figura: aut constet vlla societas: Mare non sulcatur, nisi hoc trophæum, quod vocatur velum, maneat incolume: fossores non operantur, sicut nec opifices nisi instrumentis hanc formam habentibus. Hominis figura non aliter a brutis differt, quàm quòd erecta est, & manus expandit, & in facie a fronte protensum nasum profert,*

Iustinus Martyr.

per

per quem fit respiratio, vt plane figura Crucis videatur, quod & Propheta sic indicat: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Vestra quoque insignia declarant huius figuræ potentiam, vt trophæa, & quædam, quæ prælata vobis turbam submouent, magistratus & potestatis insignia, quamuis id non aduertatis agentes aliud. Defunctorum quoque Imperatorum vestrorũ imagines consecratis hoc schemate, quos diuos cognominatis in Titulis. Tren. 4.

Hoc igitur antiquissimi viri, doctissimi Philosophi, & fortissimi martyris testimoniũ, siquis diligenter consideret, proculdubio animaduertet, non sine causa illud a me hoc loco fuisse relatum: nempe vti omniũ fere, quæ diximus, quasi summã & epilogum. Etenim antiquissimus & frequentissimus Cruce signandi vsus, quẽ primo loco statuimus, confirmatur his verbis: *Considerate totum mundum, an in eo quidquam geratur sine hac figura, aut constet vlla societas:* quod lõga serie & inductione per omnes pene hominum actiones, clarissime ostendit. Crucis vero in altum erectionem, ante subditos populos, infimæq. plebis homines, immo & ante viros dignitate & auctoritate præstantes, lationem comprobat cum subiungit: *Vestra quoque Insignia declarant huius figuræ potentiam, vt trophæa, & quædam, quæ prælata vobis turbã submouent, magistratus & potestatis Insignia.* Sed quid apertius dici, aut significari poterat de his rebus, quæ in postrema parte diximus, quàm quod a principio proponitur his verbis? *Non enim intelligebant mysterium Scripturarum figurate omnia tradentium, nec quòd Crux sit præcipuum Insigne magistratus & roboris, vt oculis cernitis.*

LIBRI TERTII FINIS.





APPENDIX

De honore viuificæ Cruci Domini exhibendo.





IUS LECTOR, qui gustauit, req. ipsa expertus est grauissimæ illius sententiæ veritatem, quam de sanctissima Dominica Cruce præstantissimus Doctor Augustinus protulit in hæc verba: *Quid dulcius vel cogitari, vel dici potest, quàm mysterium Crucis, per quam non solum ab inferis reuocari, sed etiam in cælos eleuari meruimus?* Veniam nobis condonabit, si nouissime allato inclyti Iustini martyris testimonio, quo huic scriptioni finem imponere pollicebamur, quasi a mellifluo, suauissimoq; de Cruce sermone diuelli nequeamus, hanc Appendicem de honore illi a fidelibus exhibendo, subijciamus. Cum enim prolixius, quàm ab initio proposueramus de inexcogitabili ac prope incredibili honore tractauerimus, quo Redemptor ac Saluator noster per Crucis insigne homines dignatus est honestare, ac decorare, rationi & gratitudini cōsentaneum nobis visum est, nonnulla quoque adijcere de cultu & honore, quo diuinum & nobis tam salutare trophæum prosequi necesse sit, nisi tantorum beneficiorum immemores, & in tantum Benefactorem ingrati & esse, & haberi velimus.

Serm. de tēp. 101.

Non est ita frequens vsus in Ecclesia Dei venerari clauos & patibula alia depicta, sicut Crucis imaginem.

CAP. I.

DE propositæ disputationis argumento duo satis erit attigisse, quorum illud primo loco proponitur, patibulorum omnium (quæ prope innumera excogitauerunt impij Satanæ ministri, vt acerbioribus, quibus possent, doloribus, catholicæ fidei Confessores, & ipsum etiam fidei Auctorem Christum afficerent) figuras fidelibus in Dei Ecclesia non ita communiter propositas fuisse venerādas, sicut viuificæ Crucis Domini effigies ac figuras, nisi forte vna cum Cruce proferantur. Illi enim peculiare huiusmodi priuilegium fuit concessum, Deiq. sapientia & virtute exhibitum, vt quæcumque ad Crucis similitudinem, ex quauis materia imagines fierent, illæ quoque coli, adorariq. deberent. Cuius rei veritas quotidiano experimēto adeo patet, vt nulla confirmatione opus habeat. Hinc sanctus Thomas, Doctor Angelicus, in hanc ait verborum formam; *Quantum ad rationem contactus membrorum Christi adoramus non solum Crucem, sed etiam omnia quæ sunt Christi.* Vnde Damascenus dicit in Libro 4. *Pretiosum lignum, vt sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis, decenter adorandum, clauos, indumenta, lanceam, & sacra eius tabernacula, quæ sunt, præsepe, spelunca, & huiusmodi. Ista tamen non repræsentant imaginem Christi, sicut Crux, quæ dicitur signum filij hominis, quod apparebit in cælo, vt dicitur Matth. 24. Ideoq. mulieribus dixit Angelus: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, non dixit lanceatum, sed crucifixum. Et inde est quòd Crucem Christi veneramur in quacumque materia, non autem imaginem clauorum, vel quorumcumque huiusmodi.* Hæc bea-

S. Thom. p.3.q.25. ar.4.ad 3.

Damasc. lib 4. fid. orth.c.12. post med.

B. Anton. 3. p. tit. 12. c. 10. §. 5.

tus Thomas, cui etiam adstipulatur beatus Antoninus in Summa. At quoniam sacrorum patibulorum omnis in vniuersum cultus ab hæreticis in dubium reuocatur, & irridetur; non erit superuacaneum, vno saltem exemplo, quod ab omnibus catholicis maxime recipitur, hoc dogma confirmare; nempe instrumenta, quibus viri Sancti, propter veritatem asserendam, cruciatibus & morte affecti fuerunt, in maximo pretio esse habenda, & a fidelibus condigno cultu prosequenda. Quod testimonio beati Patris Augustini de vno ex lapidibus, quibus Protomartyr Stephanus petitus fuit, manifestissime constat, vt videre est apud eundem S. P. August. hæc dicentem: *Quando lapidabatur S. Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de ijs, qui iam Christo crediderant, circumstabant: dicitur lapis venisse in cubito, & excussus inde venisse ante quemdam religiosum. Tulit illum, & seruauit. Homo erat de nauigantibus: sors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum est illi, ibi debere reponi lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iussum est. Ex illo cœpit esse memoria sancti Stephani, & rumor erat quia brachium sancti Stephani ibi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verum autem intelligitur propterea illi fuisse reuelatum, vt ibi poneret lapidem, qui de cubito Martyris excussus est, quia Græce cubitum ἀγκὼν dicitur. Sed qui sciunt, quæ ibi miracula fiunt, ipsi nos doceant.* Qua plane narratione instruimur, non modo cineres, & ossa Sanctorum, verumetiam catenas, quibus vinctus, & Crucem, cui affixus fuit Apostolorum Princeps Petrus: craticulam, & carbones, quibus beati Laurentij corpus assatum fuit, ceterorumq. omnium Apostolorum, Martyrum, aliorumq. Sanctorum cum Christo in cælesti patria regnantium sacra patibula, & monimenta, quæ illis veluti trophæa, & victoriarum signa facta fuerũt a populo Christiano dignis honoribus merito frequentanda. Ex his aperte cognoscimus, lapidem illum, Dei prouidentia disponente, tanto in pretio & honore haberi cœptum,

Serm. 32. diuer. in edit. Louan.

cum

cum Deus ipse locum, in quo reponendus ac asseruandus esset, reuelare, vbi templum in Protomartyris sui memoriam ædificari deberet, admonere, ac denique ad dicti lapidis præsentiã omnipotentiæ suæ miracula operari dignatus fuerit. Sed quamuis hæc admirabilia sint, omniq. prorsus studio, & pietate suscipienda, quemadmodum & infinita prope alia, quæ de Sanctorum reliquijs apud probatæ fidei Auctores legimus; at non videtur fuisse in vsu, tamen factum fuit, vt imaginibus patibulorum sanctorum Martyrum adoratio a Christiano populo exhibeatur, sicut Crucis imagini diximus semper exhiberi. Quod sane peculiaris honoris, singularisq. prærogatiuæ munus vni omnium tormentorum acerbissimo Crucis Domini patibulo exhibitum fuit. Cuius priuilegij illa causa est, quòd Crucis exemplum, & imago non minus, quàm ipsius exemplar, & prototypon, eundem Dominum ac Deum propter nos Cruci affixum oculis nostris obijciat, atque repræsentet.

His autem valde cohærentia sunt, quæ a B. Athanasio afferũtur in quæst. 16. ab eo non minus erudite pieq. explicata, quàm fuerit ab ipsomet proposita. Ipsius autem verba huiusmodi sunt: *Quæstio est: Quare credentes omnes ad Crucis imaginem Cruces facimus, lanceæ vero sanctæ, aut arundinis, aut spongiæ figuras nullas conficimus, cum tamen hæc tam sancta sint, quàm ipsa Crux? Responsio: Figuram quidem Crucis ex duobus lignis compingentes, conficimus: vt si quis infidelium id in nobis reprehendat, quod veneremur lignum, possimus duobus inter se disiunctis lignis, & Crucis dirempta figura, ea tamquam inutilia ligna reputare, & infideli persuadere, quod non colimus lignum, sed quod Crucis typum veneramur. In lancea, aut spongia, vel arundine, nec facere hoc, nec ostendere possumus.* Hæc S. Athanasius. Nostra tamen tempestate, Passionis Domini nostri instrumenta vnà cum Cruce pinguntur, ac circumferuntur, & interdum etiam sine ipsa Cruce depicta apparent, in eiusdem scilicet Passionis mysterijs repræsentandis.

Athanas. q. 16.

Cum imaginibus idem, qui illorum prototypis honor deferatur, omnes Crucis effigies, quemadmodum & ipsum Crucis Domini lignum latriæ cultu merito sunt adorandæ.

CAP. II.

ALTERVM, idq. fusius tractandum caput est de specie honoris, quo Crux Dominica prosequenda est: quod vt magis perspicue dilucidetur, binæ præmittendę sunt partitiones: quarũ illa sit prior apud sacros Theologos vulgatissima, qua videlicet adorationis species in Latriã, Hyperduliam, & Duliã secare solemus. Altera vero est paulo supra indicata, & apud omnes peruulgata; qua patibuli Crucis nomine, modo illud ipsum sacratissimum lignum accipimus, in quo Saluator noster pepẽdit; modo vero, idq. sæpissime, intelligimus quascũque Cruces ad dicti patibuli exemplar fabricatas. His igitur ita constitutis proposito argumento facile satisfacere possumus. Quare illud primo asserimus: quod certo certius constat, Crucem Dominicã, quæ inter omnia fidei nostræ monimenta præstantissima est, illiusq. imagines omnes latriæ cultu esse adorãdas. Cuius plane veritatis illud a Patribus, & a sacrorum Theologorũ Scholis receptum est firmissimũ fundamentũ; quòd scilicet imago eodem honore, quo ipsius prototypon colimus, veneranda est; & hac quidẽ de causa, quia quantus qualisve honor imaginibus exhibetur, ille plane in exẽplar illarum traducitur, quod eiusmodi signis repræsentatur. In exemplar, inquam, quod per lineamenta, & figuram exprimitur, & non in illa, ex quibus tamquam ex materia, seu ex partibus constant, vel componuntur. Nam quemadmodum qui statuæ Regis caput aperiunt, in illa se Regem ipsum colere ac honorare arbitrantur; & qui in Principis imaginem contumeliam inferunt, tam-

Adorationis species tres.

Quando A-[illegible]

Exemplũ.

quam

quam læſæ maieſtatis,rei plectūtur,ita plane qui Crucis imagini contumelioſus eſt, ipſum etiã Dominũ pro noſtra ſalute Crucifixum impugnat ac deteſtatur. Quod S.Andreas Cretenſis pro ſacrarũ imaginum defenſione martyrio clarus Conſtãtino Copronymo Iconomacho intrepide obijciebat his verbis: *Execrandum caput, non tibi videtur pati pro Christo, qui pro illius formæ patitur, neque ad primũ exemplar credis tranſire ignominiã, qua imago afficitur? Quomodo vos ſæpe eos, qui imperatorias contumelia affecere ſtatuas acerbiſſime punitis, perinde ac eos, qui vos probris ſunt inſecuti, vltimis affeciſtis ſupplicijs?* Et poſt pauca: *Eos, qui in Imperatorias peccauerũt ſtatuas acerbiſſime punitis; aduerſus ſacrã aliquid audere imaginẽ non reputatis eſſe Archetypi ipſius exẽplaris ignominiã?* His clariſſime adſtipulatur earundẽ imaginũ inuictus propugnator Ioan.Damaſc.in hæc verba: *Quia nonnulli nobis exprobrant, quòd adoramus, & veneramur Saluatoris noſtri, & Reginæ noſtræ Deiparæ imaginẽ, inſuper & reliquorum Sanctorum famulorum Christi; audiant, quòd a principio Deus hominem ad ſui imaginem fecerit. Cuius gratia igitur inuicem adoramus, niſi quatenus ad imaginem Dei facti ſumus. Nam, vt inquit Deifer, & magnus in diuinis Baſilius, imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.* Ex Metaphr. apud Sur. 17. Octob. De fid. orthod.li.4. cap.17.in princ.

Poſtremo hæc eſt tum Nicænæ ij. quæ fuit vij.generalis,tũ Tridentinæ Synodi nouiſſime celebratæ ſententia, quam Conciliũ in c.de inuocat.Sanct. apertiſſime decernit,& complectitur his verbis: *Sed quoniã honos,qui imaginibus exhibetur,refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita vt per imagines,quas oſculamur, & corã quibus caput aperimus, & procumbimus,Christum adoremus, & Sanctos, quorũ illæ ſimilitudinem gerunt, &c.* Hoc ipſum experiẽtia confirmatur, cum eodẽ intuitu colores, quo & lucem aſpiciamus, per quam colores cernimus, ac vna completa intellectione concluſiones, qua & principia intelligamus, quorum lumine concluſionibus aſſentimur. Concil. Trident. 25.ſeſſ.

In hunc proculdubio ſenſum ſacra Scriptura refert, quòd Dauid ante Dominũ,& corã Domino ſaltauerit, 2.Reg.6.

eum

cum accinctus Ephod lineo ante arcam testamenti, per quam Deus repræsentabatur, mente & corpore cũ explicabili gaudio gestiebat. Quoniã igitur sanctæ Crucis imagines Iesum Nazarenum verum Deum, veroq. cultu latriæ adorandũ repræsentant, merito ipsa quoque Crucis signa, quæ illum referunt, eodem cultu colenda esse atque adorãda profitemur. Pro qua veritate cõprobanda, quia modo, vt supra quoque admonuimus, non cum hæreticis, Crucis Christi inimicis, sed cum catholicis, qui ea sola gloriantur, nobis sermo est, vnius Ioañ. Damasc. qui de Crucis, sicut de ceterarum omnium sacrarũ imaginum adoratione, diffuse, diserteq. scripsit testimoniũ, quod nobis pro millibus erit; proferendum selegimus. Hic de imaginibus in genere, præter illa, quæ supra retulimus, ita scriptum reliquit: *Vt enim diximus, bonorem, qui exhibetur benignis, gratisq. conseruis, beneuolentia ad cõmunem Dominum præferre indiciũ, sic & imaginis honor ad prototypum exemplar imaginũq. veritatem transfertur.* De Cruce vero Dominica, quæ pendentem Dominũ sustinuit hæc inter alia speciatim dicebat: *Ipsum nimirum pretiosum lignum & perquàm vere venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, atque vt sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis decenter adorandum.* De omnibus vero dictæ Crucis Domini figuris in hæc verba loquebatur: *Adoramus etiam figurã viuifica Crucis, tametsi ex alia materia facta est; non materiam venerantes (absit enim) sed figuram; tamquam Christi signum, eodem, quo & Crucifixum, honore illam prosequendo.* Et paulo post: *Adorandum est igitur signum Christi: vbi enim fuerit signum eius, illic & ipse erit: materia autem, ex qua figura Crucis exprimitur, siue sit aurum, siue lapides pretiosi, aut alia, post figurationem, si contingat dissolui, non est adoranda.*

De fid.orthod.li.4. c.17. circa fin.

Damasc. li.4.c.12. post med.

Damasc. vt supra.

Ad hæc tam clara Damasceni testimonia, accedit vetustissimus traditione Apostolica receptus ritus in diuinis officijs, quæ nisi Crucis imagine in altaris medio constituta celebrari non solent, nec decet; sed peculiari ratione

tione in die sancto Parasceues religiosissime seruatus, iuxta quem vel ipse Episcopus, vel quilibet alius Sacerdotali ordine insignitus sacra faciens verbo, cantu, & exemplo cunctos, qui ad eius diei mysteria audienda, & videnda frequentes de more conuenerunt, vt sanctissimã Crucem profundissima humilitate simul cum ipso adorent, inuitat & allicit. Et cum nemini dubium sit mysticum illud officiũ haud minus rite per eos absolui, qui Cruce ex quauis materia confecta vtuntur, quàm qui ex ipsomet sacratissimo Crucis Dominicæ ligno fabricatã adorant: idcirco omnibus æque vna est eademq. adorationis forma, & eadem venerationis causa, nempe Domini nostri Iesu Christi Crucifixi repræsentatio, propter quam quasi vita, intellectu, & diuina penitus virtute præditam huiusmodi ab ipsa matre Ecclesia præscripta salutatione illam compellamus, dicentes:

O Crux aue spes vnica
Hoc passionis tempore
Auge pijs iustitiam
Reisq. dona veniam.

Ex Theodulpho in Dominic. Pass.

Dominicæ Crucis lignum, quod ipsum Dominum in eo pendentem sustinuit, quodam peculiari eminentioriq. honore præ ceteris sacris Sanctorum reliquijs prosequendum est.

CAP. III.

ALIA vero a nobis explicanda conclusio in hanc sententiam statuitur: Ipsum Dominicæ Crucis signum, in quo, vt matris Ecclesiæ elogio vtar, *Salus nostra pependit*, præter illam, de qua modo egimus, sibi cum ab ea desumptis exemplis communem latriæ adorationẽ, propria quadam peculiariq. veneratione colendum est. Et ne nimis in longum nostra protrahatur oratio, sponte præterimus disputationem inter plurimos versatam:

an singularis eiusmodi cultus ad Duliam, vel Hyperduliam referri debeat; cum graues Auctores, qui de hac quæstione scripserunt, minime inter se conueniant. Satis autem erit nobis modo ostendisse, præstantissima illius ligni fragmenta non tantum latriæ, sicuti probauimus, cultu adoranda, verumetiam honore cultuq. præferenda ceteris omnibus, quę in vniuerso orbe asseruantur sacris reliquijs Sanctorum. Quam plane assertionē in dubium reuocare non poterit, qui excellentissimum illud priuilegium perspicaciter considerauerit, quo beatissimum illud lignum decoratū fuit, in diuinis officijs non semel hisce, & alijs verbis repetitum: *Sola fuisti digna portare Regem cælorum & Dominum*. Et alio in loco: *Electa digno stipite, tam sancta membra tangere: Beata cuius brachijs, sæcli pependit pretiū, statera facta corporis*, & cetera huiusmodi non pauca. Tanti vero æstimatur hæc prærogatiua, vt ob consimilem, longe tamen nobiliorem titulū, Redemptoris nostri Genitricis sanctissimæ venter, viscera, & vbera, beata prædicentur. De illa enim quotidie cantamus: *Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium*. Item: *Beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum*, vtpote, qui in Euangelio illam eisdem encomijs laudari, ac beari intelligimus. Sancto enim Luca referēte didicimus, mulierem, voce inter turbas sublata, illius ventrem, & vbera in hæc verba laudasse, & beata prædicasse: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti*. Etenim in tantum dignitatis culmen euecta fuit, vt mater Dei diceretur, & esset. Vt igitur ad institutum nostrū reuertamur; quis nisi mentis inops, non iudicauerit, ligno Dominicæ Crucis maiorē, quàm ceteris omnibus Crucis signis cultum exhibēdum, cū ipsum Creatoris sui pretiosissimo sanguine delibutum, & consecratum fuerit? Nam quemadmodū Imperatoriā statuam, quia Imperatorem repræsentat: & Imperialia indumēta ob id, quòd Imperatori adiacent, veneratione prosequimur, ita profecto felicissimum eiusmodi lignū, non

In festo S. Crucis.

In Missali & Breuia. Rom. in Dominica Passionis. Ex Theodulpho.

Luc. 11.

modo cum alijs ad sui similitudinē formatis Crucibus (propterea quòd Dominum nostrū Crucifixum repræsentant) communi honore afficimus, verumetiam ob singularem, quam ex membrorum Christi contactu, super reliquas omnes obtinet, dignitatem, proprio, ac feruentiori, meritò veneramur. In quam sententiā doctissimus Hieronymus illam Psalmi sententiam aptauit: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Ait enim: *Multæ opiniones de scabello sunt; sed hoc proprie dixit corpus Dominicum, in quo Maiestas diuinitatis, tamquā super scabellum stetit. Quòd autem adorari debeat, eo ascendente docuerunt Apostoli, cum adorantes regressi sunt Hierusalem. Sed & ad Crucem Dominicam, & ad animam sanctam hæc referenda sunt.* Cassiodorus in eundem pene sensum accipit alterum eiusdem regij Prophetæ locum: *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius*. vbi hæc habet: *Quòd si hoc ad historiam pie velis referre, significat forte sanctam Crucē, vbi corporaliter stetit, quando in ea Crucifixus apparuit: in qua stetisse recte dicitur, vbi corpus eius infixum fuisse monstrauit. Merito ergo hunc Propheta locum dicit adorandum, qui nobis & fidei signum præstitit & salutem.* Cassiodoro assentitur Ioan. Damascenus ita dicēs: *Ait Dauid: Introibimus in tabernaculū eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius: Quòd autē Crucem dicat, ostendit quod sequitur: Resurge Domine in requiē tuam: sequitur enim Crucem resurrectio*. Et subdit: *Si enim amatorū desiderabilis domus, & amictus, & lectus, multo magis Domini & Saluatoris nostri, per quæ & saluati sumus*. Et re vera, quis nisi mētis expers negare audeat, potiori honore Capitis, & Domini, quàm membrorum, & seruorū illius reliquias esse venerādas? Nam si maiori, vt par est, affectu in beatissimæ Virginis, Ioannis Baptistæ præcursoris, & sanctissimorū Apostolorum, quàm in inferioris ordinis Sanctorum cineres, ossa, patibula, vestes, & cetera illorū monimenta honore afficienda commouemur: longe profecto feruētiori spiritu nos incendi, impelli, & quodam modo rapi necesse est, ad condignum cultum exhibendum, & impenden-

Hierony. in Ps. 93.

Act. 1.

Psal. 31.

De fid. orthod. li. 4. cap. 12.

Ps. 131.

dum, clauis, lanceæ, sudario, reliquisq. Passionis & mortis Domini instrumentis, pretiosissimo illius sanguine cruentatis, vel solo membrorum illius contactu sacratis, & sanctificatis, ac in primis saluificæ illius Cruci. Nam cum eiusmodi Christi, & Beatorum cum ipso in cælo regnantium reliquiæ non sui, sed illorum, quorum sunt gratia, veneratione digna merito habeantur, oportet sane, vt quisque fateatur, quòd vitæ, passionis, ac mortis Domini monimenta in honore maiori haberi, & omnibus alijs Sanctorum reliquijs præferri debeant.

Et quamuis diuinæ potentiæ miracula, quæ ad præsentiam sacrarum seruorum Dei reliquiarum fiunt, manifestissime declarent, valde gratam esse Domino, vel minutissimis illorum pulueribus impensam venerationem; nihilominus quantum eiusmodi sacræ reliquiæ a Crucis Dominicæ sacrosancto ligno hac in parte superētur, quisque facile percipiet, qui animaduerterit multiplicia, omniq. stupore dignissima prodigia, non modo ad ligni, in quo Redēptionis nostræ opus consummatū fuit; verumetiam ad imaginū illius contactum, vel aspectum seu intuitum diuinitus facta. Nec e memoria sibi excidere permiserit, quæ supra meminimus de mirifica, & nihil non efficere potēti virtute signi Crucis sola dexteræ ductu formati, sine quo nullum regulariter post Christi in Cruce affixionem inter mortales miraculum factum fuisse supra demonstratum est.

Si quis vero illud ipsum Crucis Dominicę sanctissimū lignum minori honore prosequendum putet, quàm mater Ecclesia ob dictam contactus causam verbis, & facto habendum esse, declarat; ex eo quòd quædam alia, quæ (Euangelica ipsa historia testante) eadem Christi sacrosancta mēbra tetigisse accepimus, ac proinde nulla maiori veneratione digna habeantur, is nobiscum procul dubio omni dubitatione semota sentiet, si Beati Athanasij responsionem intellexerit, qua consimilem quæstionē quintodecimo loco in suo quæstionū Libro propositam clarif-

clarissime dissoluit. Huius autẽ grauissimi doctoris verba Latine reddita sic habẽt: *Num quia Christus vectus est, insidẽs asino, asinos honorifice venerari debemus? Responsio. Non per asinum Christus diabolum deuicit, & Dæmones; neque in eo salutem operatus est, sed in Cruce. Vnde asinum quidem si vident Dæmones, non horrent, neque metuunt; videntes vero Crucem, terrentur, fugiunt, & euanescunt.*

Quæst. 5. Annal. li. 1. de diu. offi. c. 14. Vide Ionæ Aurelianen. de de cultu imag. li. 3.

Ex quibus manifestissime confirmatur quod supra tractauimus; quàm semper religioso & sapienti consilio primi fidei Christianæ propagatores, Crucis signum prę omnibus tam sæcularium Principum quàm Ecclesiarũ Præsulum vexillis, ac trophæis elegerint pro Pontificiæ dignitatis proprio, & præcipuo insigni. Hanc plane honorificẽtissimam Crucis virtutẽ optime calluerunt vere germani fratres, felicissimi Apostoli, Petrus, & Andreas: nam hic ad Crucis patibulum, quasi ad regium, & purpura, margaritis & omnis generis gemmis ornatum solium alacri animo accessit, & ad primum illius a longe aspectum magnificis encomijs illam salutauit, rogans, & supplex exorãs, vt se discipulum eius, a quo tanta gloria decorata fuerat, suscipere dignaretur: Ille vero Apostolorum princeps, cũ ea se nece putaret indignum, qua Dominus ac Magister suus præsentis vitæ cursum consummarat, precibus obtinuit, vt saltẽ obuerso in terrã capite, & non ea, qua Christus, forma Cruci affigeretur.

Abdias lib. 3. Pet. Dam. ser. 2. de S. Andrea

Abd. li. 1. de S. Petro. Io. Chrysost. in en com. SS. Apost. Petri, & Pauli.

Hanc itidem intellexit lux Doctorũ Augustinus, qui ob id a Christo Crucem fuisse honoratam, dicebat, quia fideles suos per Crucem esset honoraturus. Et hanc ob causam a Christianis Imperatoribus cautum, ne quis deinceps nocentium in Crucem ageretur, nimirum ne facinorosi & improbi homines morte Crucis pro ignominia gloriam reportarent: *Modo*, inquiens, *in pœnis non est apud Romanos: vbi enim Domini Crux honorata est, putatum est, quòd & reus honoraretur.* Agnouit, & inter ceteros disertissime illam declarauit Leo magnus his verbis: *De instrumento, quod iniquitas Iudæorum parauit ad*

Hierony. in de vit. illustr. De verb. Domini serm. 18. Tract. 36. in Ioann.

Ser. 4 de Pass. Dñi.

pœnam

pœnam, potentia Redemptoris gradum nobis fecit ad gloriam. Sed his tandem imponendus est modus.

EPILOGVS.

RELIQVVM igitur est, vt præcellentissimũ triumphalis Crucis insigne, quod veterum, & recẽtiorum Auctorum testimonijs summo in pretio, & in supremo & inexplicabili honore in Ecclesia Dei semperq; fuisse intelligimus, nos etiam quibus possumus maximis honoribus prosequamur: salutari ac omnipotẽti huiusmodi charactere nosipsos, vniuersasq. & singulas res nostras frequentissime signemus, ac exornemus; nihil operis actionisue nisi hoc signaculo præmisso, auspicemur. Ad primum occursum, siue aspectum, non modo illius, quæ summo Pontifici, Metropolitis, alijsve ex maioribus Sacerdotibus præferri consueuit, verum etiam cuiuscumque alterius, quæ circumferatur, seu quouis in loco firma permaneat, continuo assurgentes caput aperiamus & inclinemus, & pro loco, & tempore coram ipsa genua flectentes humiliter illam salutemus, & adoremus; atque illi, quẽ repræsentat nosipsos, & Præpositos nostros, in quorum dignitatis honorẽ illis præfertur, deuotis precibus commendemus. In cunctis aduersitatibus, & mentis corporisq. periculis ad huiusmodi signum, tamquam ad fortissimum idemq. certissimum præsidium ac propugnaculum confugientes, illius formatione contra quæcũque nobis aduersantia nos muniamus, ac tueamur. Hac enim ratione nostram in Iesum Christum Dominum nostrũ propter nos Cruci affixum, fidem, spem, fiduciamq. omnem constituisse declarabimus. In quem & ardentem dilectionem nostram manifestabimus, si frequens eiusdem trophæi inspectio perpetuaq. illius recordatio in omnibus nobis operetur, vt Ducis, ac Imperatoris nostri Crucifixi vestigia prompto, & alacri animo persequamur. Quod per nos fiet, si propria Cruce ab vnoquoque nostrũ

in humeros accepta, humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & in bonis operandis, & malis æquo animo tolerandis vsque ad mortem perseuerantiæ Christi exempla imitari studebimus. Hæc enim a nobis postulare Crucis Dominicæ in terris relictam imaginem certo nobis persuadere debemus. Nam sicut valde paucorum est, si vniuersæ fideliū multitudini eos conferamus, quibus Crux ipsa corporea, vel ad supplicium, vt cum sanctis Martyribus, & primo cum aliquibus Apostolis factum est: vel ad eminentis dignitatis ipsorum, quod cum insignioribus tantum Ecclesiæ Præsulibus seruari videmus testimonium, materiali, vt dicunt, acceptione tollenda & sumenda proponitur: ita omnium prorsus Christianorum est, illam spirituali ratione vltro accipere, & patienter, immo & gaudenter perferre. Quamuis enim minime diffitear hoc ab eis, qui in Ecclesiastica hierarchia ceteris præfecti sunt, in primis postulari, cum eorum sit, ne dum verbo, verum & exemplo fidei illorum commissas oues ad Crucem libenter subeundam inducere, nulli tamen dubium esse potest; idipsum in omnibus, & singulis, qui Christo nomen dederunt, fuisse & esse imperatum. Nullum enim ex militibus suis excepit Imperator ille cum ait: *Qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Mat. 10. Cuius mysterij peruetustus ille ritus nos admonet, cum in cuiusque per lauacrū regenerationis in Christo renascentis scapulas Sacerdotis manibus sacra quoque vnctione adhibita Crucis signaculum imprimitur. Pia enim cærimonia illa significat, simul ac Christi milites candida innocentiæ veste induuntur, ipsorum humeros mystico illo charactere signari, vt meminerint, in huius miseræ vitæ breuissimo stadio aduersus carnem, mundum & satanam sibi esse strenue decertandum: quod est, Cruce assumpta, Christum sequi. In quo certamine quicūque pro nobilissimo eiusmodi signo viriliter egregieq. defendendo ad mortem vsque legitime certauerit, ante Imperatoris cælestisq.

ſtisq. Iudicis, cuius illud eſt Inſigne proprium, terrificum tribunal, tutò ſiſti, aſtareq. poterit, vt ſuorum laborum egregiamq. certaminum mercedem, & coronam accipiat. Immortales igitur Deo a nobis habendæ, & pro tenuitate noſtra, quas poſſumus, maiores agendæ ſunt gratiæ, quod Sacro, & ſancto, & omnia ſacrante & ſanctificante Crucis ſignaculo ſibi nos dicari donauerit; & huiuſmodi ratione,vt ſub inuictiſſimo glorioſiſſimoq. vexillo ſuo nos elegerit, vocauerit, ſuſceperit, atque admiſerit, conceſſeritq. nobis vt ſanctiſſimum Romanum Pontificem cunctorum Epiſcoporum, & vniuerſæ militiæ Chriſtianæ principem anteſignanum, & vexilliferum ſuum agnoſcamus, quem ductorem ſequentes recto tramite ad cæleſtem patriam, cuius ipſe claues obtinet, deducamur,& introducamur: vt qui ſocij fuerimus paſsionum, ſimus & participes cõſolationum. Nos vero huic noſtræ elucubrationi, pia, quam ſancta mater Eccleſia nos docuit, precatione finem imponentes, humili, & ſupplici corde & voce oremus in hanc verborum formam:

2. Cor. 1.

O Crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior vniuerſis: quæ ſola fuiſti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, ſalua Chriſti ouile ſub tuo vexillo congregatum, reis donando veniam, & pijs augendo iuſtitiam. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX EORVM QVAE SCITV SVNT DIGNIORA.



A

V BACV-

B

C

Claues

D

E

F

G

Pallium,

P

R

S

Vbi

FINIS.

ROMAE,
Ex Typographia VATICANA.
M. D. XCII.

